

Filii enim ut homo confon... filii sine dicit filium per  
 filii de ipso deo dixerunt regis... filii in iherosolima temp  
 credam iherosolima... de omnibus que erat in factum  
 comburere... in die erat supra testu ceruiculi  
 curant... per indolis... stris tempu omi destruit  
 ma et dissipat... ceterum... erunt...  
 in... et dextram... montem...  
 et... et...  
 et...  
 et...  
 et...  
 et...  
 et...



...  
 ...  
 ...

...  
 ...  
 ...



U. q. 19, 1





22  
QUOD DEUS TER. OPT. MAX. FELIX FAUSTUM  
QUE ESSE VELIT.

DISPUTATIO ORDINARIA SECUNDA

*Dissertationem*

De

Prima privatorum delictorum specie,

*Qua est*

DE FURTIS,

Exhibens.

*Quam*

In celeberrima & florentissima Academia

WITEBERGENSI

*Approbante & permittente Magnificè atq; Amplissimè*

*Facultate Iuridica,*

P R Æ S I D E

*Viro Amplissimo & Consultissimo*

DN. VVOLFANGO HIRSCHBACHIO

J. U. D. ET PROFESSORE PUBLICO

Nec non Curiae Provincialis, & Dicasterij Electoralis ibidem Ad-  
sessore meritissimo, Domino Præceptore & Fautore suo  
perpetim honorando,

*Exercitij gratia in Jctorum Auditorio publicè exa-  
minandam proponet*

PAULUS DRECHSLERUS HALENSIS SAXO.

*Ad diem 30. Octobr. horis à 7. matutinis, Anno Iubilai Evangelici.*

*20. Decemb.*

Jerem, 22. vers. 3.

*Hac dicit Dominus: Facite Judicium & Justitiam, & liberate vi oppressum de manu calumnia-  
toris, & advenam & pupillum & viduam nolite deprederi neque opprimatis iniquè,  
& sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto.*

W I T T E B E R G Æ,

Typis Johannis Gormanni, Anno M. DC. XVII.



VIRIS

*Amplissimis, Auctoritate, Magnificis atq; Gravissimis, Officio Venerabilibus, rerumq; variarum experientia maximè conspicuis,*

JUSTITIÆ PRÆSIDIBUS  
& Legum Custodibus Vigilantissimis,

Dn. CHILIANO STISSERO JCTO  
Eminentissimo, & Reverendissimi, Illustrissimi, atq; Celestissimi Postulari Administratoris Primatus & Archiepiscopatus Magdeburgensis, Coadjutoris Episcopatus Halberstadensis &c. Cancellario longè meritissimo,

Dn. GABRIELI TUNTZELIO, JCTO CLARISSIMO, & Serenissimo atque Potentissimo Saxoniae Electori &c. à Secretis & Consilijs intimo, Adfini suo perpetim reverenter observando,

Dn. JOHANNI AMANDO RÜHNEN JCTO Solertissimo, Judicij Prætorij, quod est in Patria, Antistiti meritissimo, & Illustris ac inclyti Dicasterij ibidem Adfessori primario.

NEC NON

Dn. VALENTINO JOACHIMO AB Alvensleben Equiri Marchio, Viro juveni omnis generis, Virtutis & Eruditionis laude cumulatisimo, bonarum Literarum Cultori strenuo, Paternâ, Avitâ & Proavitâ Gloria Splendidissimo, quondam Domestico & Commensali suo dilectissimo, Fautori & Amico uti sincero, ita honorando.


*Magnis suis Meritis, Patronis, & Promotoribus nullo non reverentiæ atq; observantiæ cultu aeternum venerandis*

Hoc Exercitium Juridicum in studiorum suorum testimonium & debitæ reverentiæ atq; observantiæ signum devotè inscribi, consecrat ac offert

PAVLVS DRECHSLERVS  
Auct. & Respondens.



A. D. T. O. M.  
DISSERTATIO  
De  
PRIMA PRIVATORUM DELI-  
CTORUM SPECIE  
Quæ est  
DE FURTIS.  
Proœmium.

 *U*M mihi animus est, exercitij gra-  
tia, cujusdam Juris materia instituere exa-  
minationem, ut illa, hac occasione, dubijs  
hinc inde consideratis fundamentis, mihi  
magis innotesceret, hocq; exercitium ad ve-  
ri falsiq; investigationem & dijudicationem  
conduceret; de tali, cujus enodatio sit utilis,  
necessaria, & quotidiana, quales hisce in ex-  
ercitijs tractandas esse inter omnes convenit, sum sollicitus: ubi  
ea, quæ est de privatis delictis, sese mihi offert, ac præ alijs hæc vice  
arridet. Cujus enodationem esse utilissimam, necessariam & quo-  
tidianam nemo inficias ibit, ita ut encomium quod Jætus Ulp. ti-  
tulo de Restitutionib; in integrum tribuit in l. 5. ff. ibid. illi baud  
incongruè sed optimo jure adplicetur: nempe, utilitatem ejus non  
egere ulla commendatione, cum ipsamet sese ostendat, adeò ut non  
opus habeat suspensâ bederâ. Illam esse quotidianam, & bodietno  
tempore frequentissimam, ipsa satis superq; testatur experientia,  
& tribunalia, omniaq; judicia, in quibus lites, hanc materiam  
concernentes, toto die decidenda veniunt, comprobant. Utilem au-  
tem,



dem, imò extremè necessariam illius esse cognitionem, magnamque  
quod subest, periculum & irrecuperabile damnum abundanter de-  
monstrat, ac proinde (praesertim cum etiam criminaliter, & ho-  
diè, ex parte, quoque capitaliter haec delicta vindicentur) ac-  
curatè & curiosè indiget circumspèctione. Ubi n. majus vertitur  
periculum ibi curius est agendum c. 3. de elect. in 6. & l. 1. §. 5.  
de Carbon. edict. Vix autem quid occurrere potest, quod Judi-  
cis conscientiam ita tangat, coarctet, & tam facile sauciare possit,  
quam haec, de hisce delictis sive criminibus, cognitio. Si namq. in  
defectu peccet, condignà in maleficos non animadvertens poenà,  
siccò venia facilitate, uti Innocent. III. in c. 13. extr. de vit. &  
honest. cleric. loquitur, incentivum delinquendi præbens, &  
plurimos, uti cum D. Ambros. loquitur c. est injusta. 23. q. 4. ad  
prælapsionis contagium provocari faciens, triplici potissimum  
modo in discrimen longè maximum ruit. Primò n. Rempubl. laedit,  
arg. l. 13. de offic. præsid. l. 31. ff. de pos. l. 70. §. fin. ff. de fide-  
jussor. & l. 14. C. de poen. Deindè bonis nocet, Nov. 17. c. 4. in  
fin. Tandem, quod omnium est periculosissimum, ipsi quoq. metu-  
endum est, ne ejus anima subeat vicem nocentis; quod hanc ipsam  
ob causam Regi Achabo, 3. Reg. 20. v. 39. & 42. juncto c. ult.  
v. 34. & Regi Sauli, 1. Sam. 15. obtigisse legimus. Et hoc ipsum mo-  
vit religiosissimum Gallia Regem Ludovicum, cognomento Di-  
vum, ut sententiam, quâ cuidam reo capitalis criminis gratiam  
concesserat, protinus retractarit. Hic n. referente Camerar. in  
meditat. historc. Cent. 1. c. ult. cum aliquando, ex Psalmis Da-  
vidis, ad Deum preces conciperet, & aliquis, qui pro jam dicto reo  
gratiam peteret intervenisset, & Rex quasi aliud agens annuisset;  
rox verò incidisset in vers. 3. Psal. 106. ubi dicitur: Beati qui fa-  
ciunt justitiam omni tempore; protinus revocari jussio eum, cui  
gratiam concesserat, eamq. irritam fecit, memorabili atq. laudabili  
edità sententiâ: Principem qui punire potest crimen, nec punit,  
non minus coram Deo reum esse, quam si id ipse perpetrasset: Pie-  
tatis esse opus non seditia, justitiam facere. Si verò Judex in ex-  
c. Qu



cessu peccet, & asperius crudeliusque, quam res postulat, sententiam dicat, vel insontes pro nocentibus damnet, iterum, imò multò gravius conscientiam suam onerat; cum hic non de glande legendà, non de oleo, vino, aut tritico legato, uti venustè Jul. Clar. s. recept. sentent. in proœm. §. fin. loquitur, sed de hominum fortunis, de existimatione, sanguine ac spiritu ejus, pro quo mundi Redemptor ipse sanguinem suum effudit, & qui circumfert imaginem aeterni creatoris, agatur. Accuratè præterea ipsi sunt consideranda verba Psal. 55. v. ult. quibus dicitur: viros sanguinarios, dolosos & malitiosos ne dimidium quidem tempus aetatis suae completuros. Quod enim tales Draconisæ ut plurimum satis infelicè atq; inopinato vitæ exitu, idq; haud sine omine, ac supremi nutu, hinc migrarint, non tantum ex Historijs, prout apud Camerar. d. loc. & alios videre licet, sed et jam ex ipsa quotidiana experientia patet. Cautus itaq; sit Judex, ne quid durius, aut remissius, quam delicti qualitas postulat, constituat l. ii. ff. de pœn. sed in hoc modum, qualem Ulp. in l. 6. ff. ad l. Jul. pœcul. describit, consideret, illumque cum Claudio Saturnino in l. 16. ff. de pœn. & Wesenb. ibid. in parat. n. 8. ex septem potissimum circumstantijs, nimirum causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, & eventu metiendum esse sibi persuadeat; hacq; in re, ex Baldi, in l. 2. n. 7. c. de sent. ex peric. recit. monitu, duos hosce sales, nimirum SALEM SCIENTIÆ, ne sit insipidus, & SALEM CONSCIENTIÆ, ne sit diabolicus, adtribeat: aliàs injustitia & iniquitatis, quam odit Deus, Psalm. 5. & II. reus fiet. In hanc itaq; materiam longè utilissimam & nobilissimam inquirere, quantum id quidem ingenij permiserit imbecillitas atque tenuitas, propositum est. Quanquam a. qua quotidiana sunt, juxta Responsa Pauli & Ulp. in l. 25. ff. de liberat. leg. & l. 6. §. fin. ff. de precar. plenius sint attingenda, & habita tamen hæcenus recepti & observati moris ratione illam brevioribus & artioribus cancellis includam. Nihilominus verò cum ejus amplitudinem commodè ferrè vix posse opinor, ut uni tantum disputationi includatur, eam se-



cundum numerum quatuor privatorum delictorum specierum  
 quatuor distinctis disputationib. comprehensam Laconicâ, quan-  
 tum id fieri potest, brevitate publico examini subijciam; quarum  
 hæc prima priorem speciem, videlicet Furtum, altera Rapinam,  
 tertia Damnum injuriâ datum, & quarta Injuriam exhibebit.  
 Quatuor n. & non plura civilia & ordinaria esse privata delicta  
 communi Dd. calculo adprobaturum est. Antequâ verò ad rem ipsam  
 me accingam, Imperatorem nostrum Justinianum, eximium pietatis  
 cultorẽ, qui in nomine Domini ac Salvatoris nostri Jesu Chri-  
 sti ad omnia consilia omnesq; actus religiosissimè est pro-  
 gressus l. 2. de offic. præfect. prætor. Afric. ex quo & alijs quam-  
 plurimis locis, ipsum non Ethnicum sed Christianum fuisse, evi-  
 denter elucet, sequens Deum Ter. Opt. Max. in cujus nomine,  
 quidquid agimus, incipere debemus c. non observeris dies.  
 26. q. 7. ut sui Spiritus Sancti gratiâ mihi succurrat, hocq; meum  
 institutum coelesti suo rore fecundet ardentib. votis rogo; quò au-  
 xiliò divinò imploratò rectâ ad rem ipsam accedo.

## ADSSERTIO

### I.

**C**UM autem inter privata delicta furtum, ob suam  
 præ cæteris frequentiam, facilè principem locum  
 hõc feraci furum ævo obtinere, haud parvâ cum  
 Rerum publ. turbatione, doceamur, ita ut ei coër-  
 cendo, nullæ pœnæ, nullæ cruces, nulla tormenta, uti *We-  
 senb. in par. ff. de furt. in pr. loquitur* sufficere videantur; non  
 immeritò ejus tractationem priori loco suscipio.

2. Et cum potior quidem rerum, verborum tamen prior,  
*juxta mentem Ulp. in l. 1. ff. de reb. credit.* ratio sit habenda,  
 è re esse puto, antequam ad furti definitionem accedam, in  
 limine statim, paucis ejus Etymologiam attingere.

3. Ubi cum *Wesenb. d. loc. n. 2.* existimo, cæteris, quæ re-  
 feruntur in *l. 1. ff. de furt.* probabiliorem, reiq; congruen-  
 tio-



tiorem esse illam, quæ furtum à ferendo, h. e. auferendo, deducit, quam & ipse Ictus in *d. l. 1.* præ cæteris approbare videtur. Eamq; derivationem non parum confirmat, quod à forma essentiali, ipsam furti naturam, quæ consistit in contrectatione, demonstrante, sit desumpta. Furtum n. aliter, quam auferendo & contrectando, fieri nequit *l. 52. §. 19. ff. d. t. cum similib.*

4. Nunc Etymologiam furti rectè sequitur ejus definitio. Nam ut illa verbi notationem declarat, ita hæc rei essentiam explicat.

5. Definitur à Justiniano in *§. 1. Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc. ex l. 1. §. fin. ff. d. t.* contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel etjam usus ejus, possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere.

6. Quamvis a. hîc statim definitio paulò altius esset perpendenda; tamen, cum à causis furti ejus explicationem dependere animadvertam, ne rerum connexio interturbetur, ad earum tractationem hoc reservabo.

7. Hoc unum saltem, antequam ulterius progrediar, occasione verborum in fin. definitioni adjectorum, attingere lubet: furtum, videlicet, non civili lege, vel opinione vulgi tantum, quod putat Alciat. ad *l. 42 ff. d. V. §.* sed etjam naturâ, uti Clariss. Domin. D. Valent. Gurselm. Förster. Præceptor meus singulariter honorandus in tract. Justin. part. 1. disp. ult. t. bes. 1. Et alij demonstrant, turpe esse. Hoc n. non solum text. expressi *d. §. 1. & l. 1. cum d. l. 42.* evincunt, & ratio, quâ dicitur naturâ æquum esse, neminem cum alterius detrimento fieri locupletio rem. *locupletari. de R. J. in 6. l. 14. ff. de condict. indeb.* suadet, verum etjam non parum confirmat ipsius Dei vox in Decalogo expressa, cujus præcepta homini naturâ insita esse nemo est qui ignoret. Hanc ob causam non solum Dei populum in Vet. Test. ex ipsius Dei præscripto *Exod. 22.* sed etjam Athenienses, Romanos, Lydos,





dos, Scythas, Indos, aliasq; gentes severissimè in furta animadvertere consuevisse legitur. Hic autem, cum *Treutl. part. 2. disp. 30. thes. 1. lit. b.* eam naturam intelligo, quæ peperit Jus gentium per discursum, quo Jure dominiorum distinctio, quæ furtis maximè evertitur & turbatur, est introducta, & agris termini positi *l. 5. ff. de J. & J.* quod pleriq; Jus gentium secundarium vocant, ad aliquod aliud, quod ipsis primavū dicitur respicientes. Quæ distinctio, licet commodioris doctrinæ gratia forsitan tolerari possit, tamen, si quis eam ad exactam Juris rationem, & veritatis trutinam revocare velit, illam legibus vix congruere reperiet, quemadmodum *Coras. 6. Miscell. ult.* & post eum dilucidius *Clar. Dn. D. Erasm. Ungerpaur in disp. vernal. 2. thes. 7. lit. a.* hoc ostendit. Verùm in hoc cuiq; saluum suum sit judicium.

8. Tradita definitione furti sequitur ejus divisio.

9. Quamvis a *Paul. 2. Sentent. 31. §. 2.* & *Cajus 2. Inst. ult. §. 2.* furtorum quatuor dicant esse genera, nempe furtum manifestum, nec manifestum, conceptum & oblatum: summa tamen eorum divisio bipartita tantum est, in manifestū; & nec manifestū; eamq; approbat *Justin. in §. 3. Inst. de oblig. quæ ex el. nasc. post Cajum in l. 2. ff. de furt.* Conceptum n. & oblatum sunt magis diversæ, de uno eodemque furto, actiones, quàm diversa furtorum genera *d. §. 3.* Hinc ipsemet quoq; *Paul. dum in d. t. 31. §. 3.* hæc explicat, concepti & oblati actionem dicit, non conceptum aut oblatum furtum *Cujac. ibid. ad d. §. 2.* Et utramque, suâ jam ætate, una cum veteri observatione requisitionis rerum furtivarū, in desuetudinem abiisse testatur *Justin. in §. 4. vers. sed hæc actiones. Inst. d. t.*

10. Undè antiquam, in domo alienâ, rei furtivæ per lancem & licium investigandæ rationem, quam tradit *Gell. 11. noct. Attic. 18.* hodiè in usu non esse, extra dubium est; cum ædes nostræ non omnium curiositati servire, quod sanè hoc prætextu fieret, sed tutum & liberum nobis præbere debeant



beant domicilium *l. 18. ff. de injus voc. & durum præjudicia-*  
*e ac periculosum sit invito patrefamiliâs secreta domus*  
*perscrutari, atq; ita vel rei familiaris vilitatem detegere, vel*  
*divitias invidiæ & periculis subicere l. 2. in pr. vers. quid enim*  
*&c. C. quand. & quib. quart. pars. Quamvis non negandum,*  
*si adsit suspicio & urgentia extent indicia, rem furto ablas-*  
*tam apud aliquem receptari, eam adhuc, interveniente*  
*magistratus auctoritate, & publicis personis adhibitis, in-*  
*quiri posse, arg. l. 3. ff. de fugit. l. 13 in pr. ff. de offic. præsid. l. 11.*  
*ff. de adquir. vel amit. poss. l. 151. & 155. §. 1. ff. de R. J. Officium*  
*itaq; judicis implorari potest, ut concedat suam familiam,*  
*ad illam rem furtivam inquirendam, uti apparet ex text.*  
*Jur. Saxon. Weichbild. art. 90. Bocer. Class. 4 disp. 1. thes. ult.*

11. Imò ubi publica versatur utilitas, ab Impp. alienis in  
ædibus perquirendi facultas conceditur, etsi nulla extent  
indicia *l. 6. in fin. C. de aqueduct. l. 3. & 6. C. de metallar. & metall.*

12. Hortatur tamen Bonifac. in tract. de furt. §. contra et a-  
tio. n. 84. Judices, ut circumspèctè animadvertant, ne hæc  
perquisitio per odium fiat in domo inimici; neq; facilè in  
ædibus honestarum personarum concedatur.

13. Re furtivâ autem apud aliquem repertâ, judicem hoc  
ipso indicium ad torturam satis sufficiens habere nego, *arg.*  
*l. 3. §. 3. ibi: quid n. signarius recipit. ff. de incend. ruin. naufr.*  
*l. 14. C. de furt. §. 2. Inst. de usucap. Et in hac sententia non pa-*  
*rùm me confirmat hoc argumentum: Ubicunq; ex eodem*  
*facto diversæ oriuntur præsumptiones, quarum una est ho-*  
*nesta, alia turpis, ibi potius præsumendum est in partem*  
*meliolem, l. 1. ff. pro soc. Sibarid. ad l. 2. n. 6. C. de furt. quip-*  
*pè cum ipsa naturæ ratio atq; affectio id suadeat l. 20. l. 56. ff.*  
*de R. J. c. estate 2. extr. eod. Wesenb. in par. ad t. ff. de probat. &*  
*presumpt. n. ul. Atqui nostro hoc in casu diversas oriri præ-*  
*sumptiones, unam scilicet turpem, & alteram honestam,*  
*manifestum est. Potest n. dictam inventam rem furtivam*

B

apud



apud se habere ut fur, potest etiam illam habere titulo honesto, quia fortè emit, vel est ei donata, aut aliam honestam per causam ad ipsum translata. Ergo clementer & benignè hoc interpretandum, & potius præsumendum est, illum rem furtivam habere ex titulo honesto; & per consequens ex hoc indicium ad torturam non sumendum. Sanè ex levibus hisce & similibus indicijs statim ad torturam profiliere, rem esse extremè periculosam, & sæpius satis tristis & horrendi eventus, quis non novit? cum in historijs tam tragica nobis obvia sint exempla, quibus ex hâc præcipitantiâ infantes in capitis discrimen adducti, vel etiam ad supplicium rapti sunt, de quorum tamen innocentia non multò post condemnationem constitit, ita ut ea vix ullus absque horrere & stupore legat vel commemorari audiat. Hinc illos JCtos, quibus pietas cordi est, adeoq; Deum hujus inconsiderantia & funestæ temeritatis vindicem timent, in dictandis sententijs torturam concernentibus valdè cautè & circumspectè procedere, eorum ex scriptis patet. Præcipuè verò maximè accuratam considerationem hâc in re adhibere Dominos Adseffores inclyti hujus Electoralis Scabinatus ex quibusdam relationibus meorum Dominor. Præceptor. animadvertere potui. Si tamen qualitas five status personæ, ut quia est suspectæ fidei, malæq; conditionis & famæ, & aliæ facti circumstantiæ five indicia aliud suadeant, quin tunc ad torturam in dicto casu procedi possit, non negandum esse, opinor *per l. 8. §. 1. C. de quest. Sichard. d. loc.*

14. Furti tamen suspicionem à se quilibet amovere potest, si furem indicet *l. 5. & ibi Sichard. n. 1. C. de furt.* quamvis neminem invitum ad hoc de jure teneri sit certissimum. *l. 48. §. 1. ff. eod. arg. l. 4. §. 4. ff. de condict. ob turp. caus. l. 15. ff. de prescript. verb.* Sed cum hoc conjungenda sunt ea, quæ habet *Sichard. d. loc. n. pen. & ult.*

15. Nunc ad propositam furti divisionem.

16. Ma



16. Manifestum furtum, ein öffentlicher Diebstahl / *secundum Paul. d. 2. Sentent. 31.* dicitur illud, in quo fur deprehenditur, sive in ipso facto, *auff frischer That*, sive intra terminos ejus loci, undè quid sustulit, veluti si in domo furtum fecerit, & nondum egressus januam deprehendatur, sive deniq; cum re furtiva, antequam pervenerit eò, quò illam perferre destinaverat, id est, *ut idem ait in l. 4. ff. de furt.* quò eodie cum illa manere destinaverat.

17. Undè si rem furtivam pertulerit quò destinaverat, tametsi postea cum ea deprehendatur, non est fur manifestus *l. 5. §. fin. ff. d. t.*

18. Fit autem hæc deprehensio vel manus injectione, *l. 3. ff. eod.* vel visu, §. 3. *Inst. de oblig. quæ ex del. nasc.*

19. Hoc tamen posteriori casu, ut fur manifestus dicatur, non sufficit visus solum, sed huic etjam adjungenda est adclamatio, *arg. l. 7. §. 1. ff. d. t.* veluti: *quò te, fur, proripis; quove res abit mea?* aut alio aliquo modo, *uti vult Cujac. ii. Observ. 38. circa fin.*

20. Secus est in priori casu. Nam ibi sola sufficit manus injectio, non etjam requiritur adclamatio. Ratio n. cur hæc in posteriori casu exigitur hæc est, ut furem, quem manibus deprehendere nequeo, deprehendam & visu & voce, quò furtum negare non possit, cum visus per se solus ejus effectus non esset. Jam autem hæc cessat in priori casu; cum ibi manus injectio per se sola jam dicti sit effectus. Quam ob causam & dispositio cessat; ac proinde ad hoc, ut fur, qui manuum injectione deprehenditur, pro manifesto habeatur, non opus est adclamatione, *per Jura vulgata, & infra in fin. ibes. 97. adducenda.*

21. Cæterum utroque casu parum refert, utrum ab ipso rei furtive domino, an verò à quovis alio fur deprehendatur *d. l. 3. §. 2. l. 7. §. ult. ff. de furt. & d. §. 3. Inst. eod.*



22. Deprehendi autem in furto semper turpissimum fuisse animadverti potest ex eo, quod legitur apud Plutarch. in libr. Lacon. Apophtegm. adolescentulum quendam Lacedæmoniorum, cum apud ipsos, teste Xenophont. in libr. de Republ. Lacedæmoniorum, secundum ipsorum legislatoris Lycurgi leges, impune furari liceret, modo fures in ipso furto non deprehenderentur, vulpis catulum à se surreptum, advenientibus ijs, qui amiserant, ad quærendum, interiore indusio occultasse, & bestiolam, licet sævientem ac ipsius latus ad intestina usq; lacerantem, tantisper tolerasse, dum ij, qui quæsisserant, abiverint; illumq; postea reprehensum ab aliquibus dicentibus, melius fuisse manifestare vulpeculã, quam usq; ad mortem occultare: minimè, regessisse, sed moriendum potius erat in doloribus, quam in manifesto furto deprehendi.

23. Ex his, quæ hæctenus de furto manifesto dicta sunt, apparet, quid sit nec manifestum, ein heimlicher Diebstahl. Hoc enim ex manifesti, tanquam contrarium ex contrarij sui definitione intelligitur; cum contrariorum, quantum ad eorum cognitionem attinet, eadem sit ratio, princ. Instit. de his qui sunt sui vel al. jur. & pr. Inst. de tutel. Quod igitur in aliquem illorum trium casuum, quæ in preced. lib. 10. posita sunt, non incidit, id nec manifestum furtum dicitur l. 8. ff. de furt.

24. Interdum verò accidit, ut quis ejusdem rei tam manifestus, quam nec manifestus fur dicatur. Utpõta, quidam armariũ, in quo, verbi gratia, est mundus muliebris, quod tollere non potest, aperit, & omnem illum mundum muliebrem contrectat, atque ita discedit: deindè revertens partem illius aufert, & antequam se recepit quò destinavit, deprehenditur; hoc in casu ejusdem rei utrumque committitur furtum l. 20. in pr. ff. d. t. quamvis non eodem tempore, eademque actione. Cum enim dolo malo contrectat, nec manifesti, cum aufert ac deprehenditur, manifesti furti reus



reus efficitur, *Hotom. ad §. 3. in pr. Instit. de Obligat. qua ex delict. nasc.*

25. Et hæc summa furti divisio, præter id, quod, *uti dictum*, Jus nostrum civile de ea tradit, etjam apertis verbis approbata reperitur in *Const. criminal. Carol. V. artic. 157. ibi: ehe er damit in seine gewahrsam kompt / nicht beschrien / beschrichtiget / oder betretten würde etc. & artic. 158. ibi: ehe er an seine Gewahrsam kompt betretten wird etc.* ubi manifestè distinguitur öffentlicher vnd heimlicher Diebstal. Hodierni tamen nostri mores ejus nullam amplius habent rationem, teste *Myns ad §. 18. n. 24 Inst. de Actionib. & Obrecht. disp. 30. th. 16* cum his eadem sit poena furti manifesti, quæ nec manifesti.

26. Utrumq; hoc furtum ex adjunctis alijsque circumstantijs varias iterum recipit divisiones.

27. Primò enim ex tempore aliud dicitur diurnum, aliud nocturnum *l. 4. §. 1. ff. ad l. Aquil. Constit. crimin. Carol. V. art. 105.* Illud committitur interdium, hoc noctu: undè fur alius diurnus, alius nocturnus, qui est atrocior; nec enim multum abest à proditore *Senec. 5. declamat. ult.*

28. Huic divisioni non incommodè hæc subjungi potest quæstio: Num furem deprehensum occidere liceat? Ex communi *Dd.* sententia distinctè sic procedendum: Fur, de quo quæritur, aut diurnus est, aut nocturnus. Si diurnus, non nisi telo se defendens impunè interficitur *d. l. 4. §. 1. ff. ad l. Aquil. l. 54. §. 2. ff. de furt.* Si nocturnus, etjam se telo nondum defendens licitè interfici potest, *d. l. 4. §. 1. c. 3. extr. de homicid.* modò dominus seu paterfamilias ipsum cognoscere, vel apprehendere, vel proclamando avertere, atq; sic sine suo periculo ei parcere nequeat *l. 9. ff. ad l. cornel. de Sicar.* Nam si hoc posset, & maluit occidere, lege Corneliâ tenebitur *an Ulpian l. 5. ff. ad l. Aquil.* Utroq; tamen casu furem occidens ita demum impune hoc feret, si cum clamore id testificatus fuerit *d. l. 4. §. 1.* Sed hætenus dicta, non esse re-

B 3 ferenda



ferenda ad res viles vel parvas subtractas, *indicat casus l. 52. §. 1. ff. ad l. Aquil. & probat arg. deductum ex l. 9. §. fin. ff. de dol. junct. à l. 38. in fin. ff. ad l. Jul. de adult.* quas intra valorem duorum aureorum Sichard. *ad l. 1. n. 29. C. de sentent. ex brev. c. recit. & Schneid. ad §. 2. J. de l. Aquil.* consistere dicunt. Unde Sichard. *d. loc.* nos Studiosos monet, ut quamvis legamus, nocturnos fures impunè posse occidi, si aliàs non possimus res nostras salvas retinere: tamen hoc intelligendum esse de rebus majoris pretij, non de testudine, vel id genus alijs rebus. Verùm ut ut sit, nihilominus tamè, cum hoc casu maximus defectus circa probandam facti qualitatem ut plurimum occurrat, ac propterea furem interficere valdè periculosum sit, *uti demonstrat Job. Faber ad d. §. 2. n. 7.* quilibet potius eum expellere, quam interficere studeat. Idque non sine causa etiam suadet celebris Theolog. Andr. Osiand. *in Gloss. ad c. 22. Exod. lit. b.*

29. Hoc loco & illa occurrit quæstio: An furem equo vel mihi subrepto, vel suo proprio insidentem, sicq; celeriter aufugientem, si alio modo ipsum apprehendere, vel res meas recuperare nequeam, bombardæ ictu transfigere sit permissum? Quod *cum Obrecht. de necessar. defens. c. 8. n. 12* negandū censeo; ex eo, quia talis fur se telo non defendit, nec est nocturnus, ac proindè ego in ne minimo quidè vite periculo versor. Jam verò, ob solam rerum defensionem homicidiū esse permissū, nullibi legi, *Dd. communiter testantur.*

30. Deindè ex persona furis aliud dicitur domesticum, aliud non domesticum.

31. Domesticum, in latiori significatione, dicitur omne illud, quod fit patri familias ab uno ex familia sua, nempe ab uxore, à liberis, à servis vel ministris, à mercenarijs *l. 11. §. 1 ff. de par. l. 52. ff. de furt.* Non domesticum dicitur, quod præter jam dictum fit.

32. Quamvis a. uxor marito, & vice versâ, furtum reve-

ra



ra facere dicatur ; in honorem tamen matrimonij singulariter constitutum est, ipsos sibi invicem non tam turpi & atroci, *furti nempe*, actione, sed rerum amotarum teneri *l. 1. & 2. ff. rer. amotar. l. 2. §. ult. C. de furt. Donell. 15. Comment. 30. fol 798. vers. Alterum genus &c.*

33. Sic & liberos patri, servos domino furtum quidē facere certū est, sed quo minus furti actio contra ipsos intentari possit, non tam Juris constitutio, quàm ipsa rei natura prohibet ; cum non magis cum his, quos in potestate habemus, quam nobiscum ipsi agere possimus *l. 16. & seq. ff. d. t. l. ult. C. de impub. & al. substit. Donell. d. loc. vers. Non semper tamen. &c.*

34. Verū, quæ jam de liberis dicta sunt, in filio, castrense peculium habente, non procedunt. Hunc n. utili actione à patre conveniri posse probatur *ex l. 52. §. 5. ff. d. furt. & arg. l. 4. ff. de Judic.*

35. Idem hâc in re de patre sancitum reperitur. Si n. rem peculij castrensis vel quasi castrensis filio subtraxerit, ipsi hâc utili, in factum sc. comparatâ actione, furti admissi nomine, tenetur, *d. l. 52. §. 6. Cujac. ad l. 11. ff. d. dol. Pac. Cent. 7. 9. 53.*

36. Cæterum etsi domesticæ personæ, si furtum commiserint, ipsæ, sc. filij vel servi aut similes, actione furti, uti dictū, conveniri nequeāt, his tamen, furtū facientibus, opem vel consilium præstantes hâc tenentur *l. 36. §. 1. l. 52. ff. de furt.*

37. Et hæc quidem de jure communi certa sunt. Si verò ad hodiernos nostros mores, sive statuta respiciamus, his, nisi furta leviora sint *l. 11. §. 1. ff. de pœn.* omninò contra ipsos agi posse, observari & statutum esse videmus *Constit. Elector. Augusti 38. part 4.* Adeò ut *Duar. ad t. pro soc. c. 4. circa fin. fol. 1017.* dicat, moribus nostris in servos domesticos gravius animadverti, quam in alios, cum tale furtum vitari non possit, *uti infra in th. 162. dicetur.* Indè illud, quod *Wes. ad §. 9. n. 5. Inst. de publ. judic. de tutore pecuniâ pupillare intervertete dicit,*  
etiam



etiam de his dici potest, nimirum eò magis istos puniri oportere, quò majorem debent bonam fidem, minusq; caveri illorum fraus potest.

38. Et hi servi sive famuli, tunc, cum dominus bona quædam in domo amissa esse animadvertit, aufugientes, illa furto subtraxisse præsumuntur *N. 53. c. 4. vers. illum verò, & ibi Gl. in verb. factum Sich. ad l. 3. n. 46. C. de reb. cred. & Hippol. de Marsil. in Pract. crimin. §. diligenter. n. 47 qui, teste Sichard. ad l. 14. n. 9. C. de furt. Magister causarum criminal vocari solet.*

39. Appellatione autem domesticorum vel der Hausgenossen / in d. Const. Elect. 38. si Moller. *ibid. n. 5. credimus,* non etiam continentur liberi, parentibus, vel conjuges, conjugibus aliquid furripientes; quos ipse *d. loc. & Wesenb. in par. n. 8. ff. de furt. à Magistratu extra ordinem mitius puniendos esse censet.*

40. Hoc loco & illam utilem atq; in Academijs præsertim, non infrequentem quæstionem attingere lubet, quâ disquiritur: Num tabellarius, cui pecunia ad alium deferenda committitur, si eam retinens in usus suos convertat aut intercipiat, furti teneatur? Indistinctè ipsum teneri *cum Moller. 4. Semestr. 2. opinor per apertos text. in l. 7. C. de furt. l. 22. §. 7. ff. mandat arg. l. 3. §. 1. ff. de O. & A. l. 19. in pr. ff. de reb. cred. l. 31. ff. de A. R. D. Adeò ut talis secundum Nov. Elector. Augusti graviter puniri possit. Hæc n. si quantitas commisi furti ad summam viginti florenorum usitatorum ascendat, laquei, sin minor sit, fustigationis & perpetuæ relegationis, aut si per exigua sit, carceris vel temporalis relegationis pœnam in ipsum statuit, *part. 4. Constit. 41. §. Wann auch ein Vore. Tract. part. 2. disp. 30. th. 1. lit. f.* Cujus a. hoc casu, cum nuntij cum pecunia aufugiunt, sit periculum, illiusnè, qui pecuniã aliò perferendam tabellario committit, an verò illius, ad quem perferenda committitur, nervosè & distinctè docent Sichard. *ad l. 7. n. 11. cum seq. C. de furt.*  
& He-*



et Hering. *tract. de fidejuss. c. 20. §. 27. n. 21. & aliquot seqq. ubi n. 25.* pro debitore cujusdam pecuniæ optimam hanc tradit cautelam, ut is semper, *ad evitandum periculum*, expressum creditoris, de tradendâ huic vel illi certæ personæ pecuniâ, mandatum expectet. Et ex hoc *ibid. n. 26.* observari asseverat, depositarium, apud quem Studiosus libros suos deposuit, si hic illi literas scribat, ut dictos libros sibi mittat, & depositarius eos tradat offerenti literas, isq; aufugiat, non liberari; quamvis secus sit, si scripserit, quod mittere debeat per præsentium latorem.

41. Porrò ex loco, in quo furtum factum, aliud dicitur tumultuarium, aliud balnearium.

42. Tumultuarium, dicitur furtum, tempore incendiij, ruinæ, naufragij vel navis expugnatae commissum *t. t. ff. de incend. ruin. naufrag. ubi, & passim, Dd.* Et detestandum hoc scelus committentes eò majore odio digni sunt, non tantum, quod suam nequitiam eo tempore, quò & furandi occasio major, & quilibet minus res suas custodire potest, exerceant, sed etiam, quod ubi misericordiâ opus esset, ibi crudelitatem adhibeant, adeoq; instar canum, qui morsum & ululantem canem adhuc ipsi mordent, calamitatē calamitati imponant, afflictisq; afflictionē addant *contra l. 14. in pr. ibi: cū satis furore ipso etc ff. de offic. pres. l. 28. in fin. C. de Episc. audient. c. & si clerici. in fin. ext. de Iudic. & c. 4. v. 3. Ecclesiast. cū simil.*

43. Balnearium furtum dicitur, quod committit is, qui vestimenta hominum, qui in balneo sunt, aufert, *t. t. ff. de furib. balnear. ubi Cujac. & Wes. in parat.*

44. An autem Balneator de vestimentis hisce furto subtractis teneatur *apparet ex l. 1. §. 8. ff. de pos.*

45. Præterea, ex re, quæ surripitur, aliud est furtum in grege abigendo commissum, quod Abigeatus dicitur *t. t. ff. de abig.* aliud furtum arborum cæsarum, *t. t. ff. arbor. furt. cæsar.* aliud furtum tigni juncti, *t. t. ff. de tign. junct. & ibid. Wesenbec.*

C

46. Tan-



46. Tandem, à modo furandi, quidam fures dicuntur Saccularij, similes sectoribus zonarijs, quos vulgò *Spinibus* *ben* oder *Beutelschneider* appellare solemus: quidam directarij, l. 7. ff. de *extraord. crimin.* Cujac. 10. obs. 27. Hisce furum generibus haud ab simile videtur illud vagantium furacissimum genus, qui Cingari, vulgò *Zigeuner*, appellantur, & chiromantiam profitentur, credulisq; mulieribus, dum futura prædicere fingunt, illarumq; manus inspiciunt, & detinent, marsupia & alias res mirâ arte furripiunt; de quo vago & inutili hominum genere quædam lectu digna & jucunda reperiuntur apud Camerar. *in suis meditat. historic. Cent. 1. c. 17.* Horum facetum quoddam furtum Rhodigij credulæ atque stolidæ cuidam fœminæ, maritum mercatorem meretricem vehementer amantem, illamq; ob id flocci pendentem habenti, ac propterea remedium à Cingara gemens hâc in re imploranti, factum refert Bonifac. *id d. tr. de furt. §. 10. n. 222.*

47. Et jam dictorum generum furta, *ut forsân multâ haud sine danno sunt experti*, tanta astutiâ tantâque manuum dexteritate committuntur, ut ipsimet, quibus res subtrahuntur, furum ingenium admirari cogantur; qualia etjam recenset Camer. *in d. Cent. 1. c. 44.* quæ tantâ cum astutiâ atque audaciâ perpetrata sunt, ut etjam fidem ferè excedant. Quoddam n. ipso Francisco I. Rege Galliæ, & aliud Carolo V. Imp. unâ cum suis familiaribus præsentibus & inspicientibus, utrumq; tamen absq; ullo impedimento & omni furti suspitione commissum effectumq; esse refert.

48. Etsi autem posteriores paulò ante datæ, & aliæ, *quæ adhuc forsân dari possent*, furti distinctiones ulteriorem indaginem requirerent, ne tamen disputationis conscribendę limites hâc prolixitate excedam, illam necessariò hic omittendam esse censeo.



49. Ad CAUSARUM itaq; investigationem nunc progrediar, quarum consideratio uberiorem hnjus materie cognitionem suppeditabit.

50. Et quidem CAUSA furti EFFICIENS est fraudulosa hominis voluntas *l. 37. ff. de usucap. §. 7. Inst. de obligat. qua ex del. nasc.* Omnia n. delicta mente ac voluntate, tanquam præcipuis & interioribus eorum causis, principaliter dijudicantur *l. 53. in pr. l. 39. ibi: nec n. factum &c. ff. de furt. l. 41. in fin. ff. ad l. Aquil. c. 4. in pr. extr. de sentent. excom.*

51. Indè haud est obscurum, quod in furiosum & impuberem furti crimen non cadat, nec furti actione teneantur *l. 5. §. 2. ff. ad l. Aquil. l. 12. ff. ad l. Cornel. de Sicar. l. 50. §. 2. ff. de furt. arg. §. 8. & 9. Inst. de inutilib. stipul. Donell. 1. comm. 22. fol. 33. vers. Quibus juris ignorantia &c. Sicbard. ad Rubr. C. de novat. n. 10. & ad l. 3. n. 13. C. de in integr. restit. Hunn. in tract. de pact. c. 3. q. 2.*

52. Per impuberem tamen hoc loco intelligo infantem & infantia proximum. Si enim pubertati proximus adeoq; doli capax sit *l. 4. §. 26. vers. deniq; ff. de dol. mal. except. quin furtum faciat, & furti actione teneatur, non ambigitur l. 23. ff. de furt. l. 111. ff. de R. J. §. pen. J. de oblig. qua ex del. nasc. c. 1. extr. de delict. pueror. Donell. & Sicbard. d. loc.* quamvis non ordinariâ, sed extraordinariâ & mitiori delicti poenâ, prout Judex faciendum esse cognoverit, affici solet *l. 37. §. in delictis. ff. de minorib. l. 16. §. 3. in fin. ff. de poen. l. 108. ff. de R. J. d. c. 1. extr. de delict. puer. Carol. V. peinliche Halsgerichts Ordnung. art. 164. Donell. d. loc. vers. in delictis. in fin. & Sicbard. ibid.* Hinc, uti tradit Schneid. ad pr. *Inst. de auctor. tutor. n. 20.* de Jure Saxon. nullus infans seu pupillus, in sua pupillari ætate, quid perpetrare potest, ob quod capitis poena plectatur, & pupillo hominem occidente, tutor ejus poenam pecuniariam seu Wergeldum persolvere tenetur, *Landrecht lib. 2. art. 65.*



53. Quà autem ætate impuberes pubertati proximimi sint dicendi variè inter Interpretes disceptatur; verior tamen illorum videtur opinio, qui rem totam, utpotè nec expressâ lege definitam, nec validâ juris ratione ex mente legis desumptâ decisam, iudicis arbitrio relinquendam esse statuerunt *arg. l. 1. §. 2. ff. de Iur. delib. c. ult. in fin. extr. de transf. act.* Etenim quomodo, hac in re, certa & generalis aliqua definitio dari, certumq; tempus determinari posset? hoc sanè esset naturæ legem præscribere. Absurdè. Ipsa cerrè testatur experientia, hunc impuberem, qui tamen ejusdem cum alio est ætatis, pro varietate vel temperamenti, quod in hoc præstantius in alio deterius reperitur, vel regionis in qua natus est, vel loci ubi, *puta an in urbe vel ruri*, educatus est, vel aliarum qualitatum & circumstantiarum, præcocioris esse intellectus majoris industriæ & malitiæ, ac proindè etiã citius pubertati proximum doliq; capacem dici posse, quàm alium *Coras. 6. Miscell. 23. Heig. ad §. 9. n. fin. Inst. de inutilib. stipul.*

54. Sed quid de senibus res alienas auferentibus sentiendum? Ipsos quidem furtû committere certum est, si tamen decrepitæ sint ætatis, cum tunc præ nimio senio ut plurimû repuerascere incipiant, & ad pueriles nugas redeant, adeoq; bonam partem consilij & mentis amittant, non ordinariè sed mitiq; puniendos esse dicendum videtur *per l. 2. ff. de term. mot. l. 6. in pr. ff. ad l. Tul. pecul. l. 3. §. 7. ff. ad Sct. Syllan. l. 108. ff. de R. I. c. 24 distinct. 86.* Si autem sint robusti, graves, perspicaces, & sapientes; prout non rarò reperiuntur, qui in plenitudine intellectus ultra octogesimum vel etiam nonagesimum annum firmâ corporis valetudine vivunt, mitiori delicti pœna digni haud videntur *arg. d. c. 24. vers. quia simplicitatem. N. 5. c. 3. circa fin.*

55. Idem quod de senibus dictum, circa pœnam mitigandam, etiam de illis, qui extremè ebrij aliena auferunt, sen-



sentiendum opinor per l. 6. §. 7. ff. de re militar. l. 11. §. 2. ff. de  
pen. c. sanè. c. inebriarunt. 15. q. 1. & c. à crapula. extr. de vit. &  
bonest. cleric. Borcb. de pact. c. 3. n. 15.

56. Cum etiam amor furori æquiparetur, adeò ut ejus  
furore nihil vehementius judicetur à Justiniano in N 74 c. 4.  
non dissimile forsan judicium est sumendum de illis, qui im-  
petu & ardore amoris res amasiarū suarum furantur; cujus  
generis amentem quendam noctu dilectæ suæ imaginem,  
in quam postea semper ferè oculos habebat coniectos, ma-  
ximo cum periculo subtraxisse refert Bonifac. in d. tr. de  
furt. §. 10. n. 134. Non immeritò itaq; Poëta Publ. Syr. innue-  
re volens, ardore amoris nihil vehementius esse, illumq; intra debi-  
bitos limites vix ullum mortaliū carcerare posse, dicit: Amare  
& sapere vix Deo conceditur.

57. Præterea ex ijs, qua in precedente thesi 50. posita sunt,  
quoq; patescit, eum, qui putat se domini voluntate rem au-  
ferre, quamvis revera ipso invito fiat, in furti crimen non  
incidere, quod confirmat l. 46. §. 7. ff. de furt. & §. 7. Inst. eod.

58. Vndè quamvis commodatarius transferens res sibi  
commodatas in alium usum, quam ipsi concessæ sunt, aliàs  
furtum committere dicatur l. 5. §. 8. in pr. ff. commod. §. 6. Inst.  
b. t. si tamen dominum id permissurum credat, extra cri-  
men est, l. 76. ff. de furt. §. 7. Inst. eod. Clariss. Dn. Eberh. Speck-  
ban. cent. 2. class. 3. q. 14. n. 5. & seq.

59. In hoc autem non quamvis vagam existimationem  
& injustam credulitatē, quæ dolo proxima est, sufficere vo-  
lo; quid enim hōc esset absurdus? Aliud certè manifestè  
suadet pr. l. 76. ff. de furt. Probabilem itaq; requiri cum VVe-  
senb. in parat. add. i. n. 6. puto: quæ an talis sit, judicis cog-  
nitioni & judicio Heig. ad §. 7. n. 3, Inst. de oblig. quæ ex delict.  
nasc. committit, qui personarum inspectâ qualitate videre  
debet, an illi, de quibus quaeritur, sint consanguinei, vel



*magna amicitia conuenit, an res parua sit, vel*

magna, aut dominus rerum ad istum usum rem facile concedere consueverit.

60. Quo posito, facile defenditur, Studiosum, vel quemvis alium, si equum, qui alias conduci solebat, ultra tempus conductionis retineat, longiusq; ducat, furtum non committere; cum pro eodem pretio reconduxisse videatur, ac proinde probabiliter existimare potuerit dominum consensurum, quamvis, si secus sit, furtum committere videatur *l. 40. d. l. 76. in pr. d. t. Schneid. ad §. 7. n. fin. In t. eod. Hoc tamen Jus Saxon. indistinctè aliter decidit in libr. 3. art. 22. & libr. 2. art. 29. Landtrecht. hisce verbis: Wer dem andern leihet sein Pferd zu bescheidenen Tagen/ helt ers vber die Zeit/ vnd wird darüber beklagt/ so muß ers zu hand wider geben/ vud bessern ob ers geärger hat/ Dieberey oder Raubens mag er jhn nicht zeihen.*

61. Tandem *ex d. thes. 50.* & hoc liquet: eum, qui rem illius, quem mortuum putabat, cum tamen adhuc vivus erat, tanquam heres apprehendit, furtum non commisisse, quod ipsum approbat *l. 83. in pr. ff. d. t.*

62. Quæri hic etiam potest: Num ille, qui rem alienam eo animo surripit, ut eam vel DEO, vel pauperi largiatur, furti teneatur? Affirmativæ subscribendū esse existimo *per l. 54. §. 1. l. 43. §. 4. l. 65. ff. de furt. c. sic non. 32. q. 4.* Undè Sichard. *ad l. 4. n. 21. C. de ser. v. fugit.* quandam furti speciem esse, inquit, de alieno esse liberalem. Et hūc referri potest, quod *Proverb. 15. v. 8.* dicitur: *des Gottlosen Opffer ist dem H. Ern ein Grewel*; item ea, quæ habentur in *Libr. Ecclesiast. c. 34. vers. 21. cum duob. seqq.* Indè etiam Sacer Codex, ubicunq; ad liberalitatem & misericordiam erga pauperes exercendam nos adhortatur, illam non de alienis sed proprijs bonis fieri debere inculcat.

63. Absolutâ furti causâ efficiente ad ejus **MATERIAM** deveniendum.

64. Et



64. Et hæc, cuius scilicet furtum fit, sunt aut RES aut  
USUS REI, aut POSSESSIO.

65. Ad RES, quæ furto subtrahi possunt, quod atti-  
net, REQUIRITUR PRIMÒ, ut hæ sint ALIENÆ l. 59.  
in pr. ff. de furt. l. 21. ff. commod. Paul. 2. Sentent. 31. §. si rem  
quam. &c. Hinc, aliquem non magis suæ propriæ rei fu-  
rem, quam suæ conjugis adulterum dici posse, testatur  
Aristot. 5. Ethic. 11.

66. Indè hæc oritur controversia: Num ille, qui ad  
sublevandam extremam famis necessitatem victualia sive  
edulia subtrahit, furtum committat? Et, cum necessitatis  
tempore omnia non tam aliena, quam communia & qua-  
li propria esse videantur arg. l. 2. §. 2. in fin. ff. ad l. Rhod. de  
jact. c. 8. circa fin. distinct. 47. c. aurum. 12. q. 2. nec ulla famis  
necessitate crudelior & potentior sit Dec. Consil. 555. num. 12.  
Alber. in l. 2. C. de patrib. qui fil. distrax. negativam ut æqui-  
orem, ita & veriolem puto, quam confirmat arg. l. 1. ibi:  
nam ignoscend. ff. de bon. eor. qui ante sentent. l. 3. ff. de J. & J.  
c. quod non est. extr. de R. J. P. N. S. Carol. V. art. 166. Geib.  
1. Observ. 142. in fin. Henon. disp. Inst. 18. th. 10.

67. Quamvis non etjam negandum, talem furem, si  
postea feliciorum & pinguiorem adsecutus sit fortunam,  
ad restitutionem vel æstimationem eorum, quæ extremam  
necessitate laborans abstulit, teneri, Vigel. in Method. Const.  
Carolinæ c. 8. reg. 1. except. 6.

68. Extremam autem necessitatem, prout etjam funda-  
menta pro sententiâ precedent. thes. 66. adducta innuunt, non il-  
lam dico, quam quilibet furum hoc casu sibi forsitan ima-  
ginaturus atque ad sui immunitatem præensurus esset,  
sed eam, quæ vitæ periculum imminere efficit, cui aliter,  
quam



quam per hanc eduliorum amotionem subveniri nequit,  
*Covarr. in c. peccatum. de R. I. in 6. §. 1. secund. part. relect.  
num. 3.*

69. Necsejungendus est casus necessitatis à viatoribus  
& alijs proximi vineam vel agrum ingredientibus, & uvas  
fructusve decerpentibus. Nam nec illis extra necessitatis ca-  
sum dictas uvas vel fructus decerpere licet, etsi ad hoc tan-  
tum id facere velint, ut statim eos in vinea, agro vel via co-  
medant, *arg. l. 11. C. de servit. & aqua c. 26. de consecrat. distinct.  
5.* Si tamen consuetudo cujusdam regionis aliud permittat,  
sicuti aliquibus in Germaniæ locis laudabilem hanc consue-  
tudinem, quâ, omni etiam necessitatis conditione remotâ,  
cuilibet viatori uvas pro refectione decerpere licet, rece-  
ptam esse traditur, illa minimè improbanda erit; præsertim  
cum & politicæ constitutioni à summo Legislatore per Mo-  
sen introductæ & ad Rempublicam Hebræorum directæ re-  
spondeat, *uti apparet ex Deut. c. 23. circa fin.*

70. Cæterum rebus alienis etiam annumerantur com-  
munes, quoad portionem quæ socij est. Si itaq; alteruter ex  
socijs rem, quæ utriq; communis est, auferat, illius portio-  
nis, quæ non sua sed socij est, furtum committit *l. 45. ff. de  
furt. l. 45. ff. pro soc.*

71. Alienarum rerum in numerum referuntur quoq;  
res propriæ, respectu juris, quod alijs in ijs habet *l. 59. l. 15. §.  
fin. ff. de furt.* Vndè debitor rem suam oppignoratam cre-  
ditori surripiens furti tenetur. *l. 19. §. 5. l. 12. §. 2. l. 20. ff. d. t.  
l. 4. §. 21. ff. de usucap.* Ne tamen hoc illis, quæ supra in *thes. 65.*  
tradita sunt, adversari videatur, addendum, talem hoc casu  
non propriè sed Metonymicè suæ propriæ rei furtum com-  
mittere dici, *Vult. 1. Jurisp. Rom. 48. num. 80. & in Comm. ad  
§. 1. n. 20. Inst. de oblig. q. ex del. nasc.*

72. Nec refert, utrum debitor possidenti sive tenenti  
creditori pignus auferat, sive rem, in qua creditori, retentâ  
posses-



possessione, speciali pacto hypothecam tantum constituit, distrahat. Non minus n. hoc, quam illo casu furtum committit *l. 66. ff. de furt.* Quamvis in eo non exigua lateat differentia, quod priore casu, quando debitor pignus aufert posteaq; distrahit, vitium furti purgetur, adeoq; ab emptore usucapi possit, *l. 4. §. 21. ff. de usucap. l. 5. ff. pro emptor.* posteriore verò casu secus sit *l. 6. C. eod.* Idque non sine ratione; quam demonstrant *Cujac. ad d. l. 4. §. 21. ff. de usucap. & Pac. cent. 6. quæst. 98.*

73. Utrum verò debitor, qui rem oppignoratam creditori surripuit, absolvatur à furto, ita ut pœnæ liberationem consequatur, si se paratum rursus ad solvendum ostendat, in dubium vocatur? Et probabiliorem negativam esse sententiam innuit *l. 45. ibi: nec altera actio & c. ff. pro soc. l. 12. ff. de serv. corrupt. l. 5. ff. vi. bonor. rapt. l. 65. ff. de furt. l. 17. §. 1. ff. de edil. edict.* quamvis quoad hodiernam pœnam capitalem secus esse dicendum videatur. Illum n. qui se spontè offert & ablatum restituit, non suspendendum, sed extraordinariè plectendum esse, qui vis facilè concedet *l. 5. §. 4. & l. 13. §. ult. ff. de re milit.* Cum quo consentit *Constit. Elector. Augusti 32. §. vnd nach dem den Rechten gem. §. ult. part. 4.* Nam & secundum hanc illi, qui pœnitentiâ ducti, antequam à magistratu deprehensi in carcerem conjiciantur, vel acculentur, domino rem furtivam, ejusve æstimatione ultrò & spontè restituant, in his terris non suspendij pœnâ, sed vel carcere, vel relegatione, vel etjam, pro qualitate rei & circumstantiarum, virgarum castigatione, mit. *Stauspenschlagen*, puniendi sunt, *Moller. ibid. in comm. n. 16. & seqq.*

74. Non etjam est extra omnem controversiam, quid dicendum, si vice versa creditor, cum rem sibi liquidò debitam à debitore moroso consequi nequeat, illam vel aliam æquivalentem ei surripiat? Sed & hunc furtum committere non est obscurum, *si perpendantur l. un. C. ne quis in sua*

D

caus



*caus. l. 13. ff. quod met. caus. l. pen. ff. ad l. Jul. de vi privat. l. 1. §. 2. ff. quod vi aut clam. l. 14. C. de Juda. Clariss. Dn. Præcept. Forster. d. disp. ult. th. 4. Adeo ut hoc ipso, quod crediti nomine rem debitoris sine judicis auctoritate occupet, non tantum ex decreto D. Marcius crediti amittat, d. l. pen. ff. ad l. Jul. de vi privat. d. l. 13. & ibi Cujac. ff. quod met. caus. sed etiam tertia parte bonorum ex lege Julia mulctetur, & præterea tanquam infamis ab omnibus honoribus arceatur l. 1. in pr. & l. ult. ff. ad l. Jul. de vi privat.*

75. Et hinc defendi posse putarem, famulo quoque vel ancillæ pro mercede, quam à dominis consequi nequeunt, aliquid auferendi facultatem non esse concessam, quod etiam confirmat l. 176. ff. de R. J. l. 7. C. unde vi. ut proinde mirer insigni Jcto Sichard. in l. 1. n. 17. C. de testam. quem etiam non immerito Ampliss. & Consultiss. Dn. Doct. Hirschbach. Præceptor, Præses & Hospes meus singulari observantiâ honorandus, in prælectionib. ad l. Majorib. 3. C. commun. utriusq. judic. in pr. post Mynsing. 5. Observ. 32. in fin. excellentem Juris Interpretem appellat, contrarium placuisse.

76. Dictum, rerum non nisi alienarum furtum committi, nunc etiam inspiciendum est, quid leges nostræ sentiant de illis, quæ NULLIUS sunt, quas alienas propriè vix dici posse notum est, Donell. d. libr. 15. Comm. Jur. Civil. c. 30. fol. 796. vers. Quo loco observatu dignum &c.

77. Hæ autem non unius ejusdemq; sunt generis. QUÆDAM enim ita nullius sunt, ut tamen in possessione vel dominio alicujus esse possint, quales sunt feræ bestia, volucres aëris, pisces aquæ, & his similes, §. 12. Inst. de R. D. QUÆDAM verò ita nullius sunt, ut nec unquam alicujus esse vel fieri queant, quales sunt res sacra, sancta, & religiosa l. 1. ff. d. t. de R. D. §. 7. Inst. eod. l. 8. §. 5. ff. de V. O. l. 6. ff. de contr. empt. §. 2. Inst. de inutil. stipul. Et tandem QUÆDAM nullius dicuntur non abscisè & simpliciter, sed nullius singulorum, quales  
res.



res sunt bona publica aut cujusq; universitatis *l. 1. in fin. pr. ff. de R. D. l. 1. §. 1. l. 7. §. 1. ff. quod cujusq; univers. rom. l. 10. §. 4. ff. de in jus voc.* Etenim licet ea, quæ universitatis sunt, in promiscuo omnium sint usu, nullius tamen in bonis sunt, *l. 2. §. 2. ff. ne quid in loc. publ. l. 1. §. fin. ff. de acquir. poss. Giph. ad §. 7. in pr. l. st. de R. D. & arguè Hortens. ad §. universitatis. Inst. eod.*

78. PRIORIS GENERIS RERUM furtum non fieri, sed illas cuilibet occupanti concedi constat *ex l. 26. ff. de furt. l. 1. in fin. l. 3. ff. de A. R. D. l. 3. §. 14. ff. de acquir. poss. §. 12. l. st. de R. D.* Ex quo certum est, ferarum animantium, quæ proprietate nullius sunt, furtum fieri non posse. Si verò animalia naturâ non fera sed mansueta, qualia sunt gallinæ, anseres, oves, porci, boves & similia, animo lucrandi quis includat & detineat, quin illorum furtum committat extra dubium est *l. 5. §. pen. ff. de A. R. D. l. 1. §. 1. in fin. ff. de abig. & §. gallinarum. 16. Inst. de R. D.* etiam si ei damnum dederint in suo agro. Hinc de Jure Saxon. *in artic. 121. Reichbildt* decisum est: *Fliegen Hünner in eines andern Mannes Hoff/ vnd thun sie ihm Schaden/ er mag sie greiffen/ vnd die Fittig abschneiden/ vnd sie wider Heim senden; quibus Glos. ibid. subjicit: Wann er sie erchlegt/ muß er das Hun gelten mit seinem gesetzten wehr gest; cujus quantitas exprimetur infra in r. b. 97* Cæterum illum, qui reperit dicti generis animalia in agro suo, ubi damnum dederunt, hoc modo sibi consulere posse, *si illa secum perducatur vel mittat ad aream Caupona, vel Nosocomij vel Curie, aliumve solium publicum locum, vel etiam ad proprium suum pradium, ibiq; tam diu detineat, donec illa dominus reposecat, ad eog; hic propaleatur, ut accusari & ad damnum sarcendum adstringi possit, colligere possumus ex illis, quæ habet Bonifac. in d. tract. de furt. §. mobilis. n. 25.* Quod procul dubio etiam de hodierna consuetudine ita observatur.



79. Ex illis, *que in princ. precedentis thes. dict. sunt*, confectarium quoque est, rei, à Domino pro derelicto habitæ, furtum fieri non posse *l. 43. §. 5. ff. d. furt. arg. l. 1. l. 5. §. 1. ff. pro derelict.* in tantum, ut etiam si quis animo furandi tales res auferat, nihilo magis furtum esse factum intelligatur, *d. l. 43. §. 5.*

80. Secus est in rebus inventis; nam in his distinctè est procedendum. Aut enim illas aliquis furandi sive lucri faciendi causa sustulit, & illarum furtum fecisse existimatur *d. l. 43. §. 4. c. si quid invenisti 14. q. 5. c. multi. ibid.* Aut hoc fecit animo restituendi vero domino, & furti crimen non incurrit *d. l. 43. §. 7. c. 8.*

81. Ut autem repertor animum suum, hæc in re dubiâ, ipso facto declaret, seque ab omni furti suspitione & obligatione liberet, tutissimè & honestissimè faciet, si publicè per præconem, aut libellum vavis curiæ, aliove loco, *ubi homines frequenter conversari solent, ipsisq; ad notitiam id facile pervenire potest*, affixum inventionem indicet, & se rem inventâ ei, qui illam desideraverit, suamque esse certis indiciis ostenderit, restitutum promittat; *quod consilium nobis suggerit Ictus Vlp. in d. l. 43. §. 8. quem sequuntur Wesenb. in par. n. 10. ff. d. t. c. Dn. Bocer. in d. disp. 1. thes. 32.*

82. Si itaque, post factam hanc inventionis divulgationem, dominus compareat, & rem inventam suam esse certis indiciis demonstrat, hæc illi restituenda est, nec probè facit inventor si *εὑρετορ*, id est inventionis præmium petat, *d. l. 43. §. 9.*

83. Sin minus, sic distinguendum erit: Aut inventor inops & pauper est, aut dives. Priori casu rem inventam sibi retinere potest: posteriori verò æquius honestiusque aget, si ad sustentationem pauperum, egenorum ministrorum, Ecclesiæ & Scholarum, aliosve pios & honestos usus illam, vel, si hanc ipsam retinere malit, ejus æstimationem con-  
ver



vertat, *c. nemo qui rapit. 14. q. 5. Wesenb. & Du. Bocer. dd. loc.*

84. Et hinc liquet, illum, qui res iter facienti de rheda vel equo currente, ipso hoc non animadvertente, decidentes animo lucrandi tollit, furtum committere *l. 3. ff. d. incend. rum. nauis. §. fin. Inst. de R. D. d. c. si quid inuenisti. 14. 4. 5.*

85. Idem dicendum de illis, qui merces coorta tempestate navis levandæ, adeoque periculi effugiendi causa à navigantibus in mare projectas, & postea fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari eodem animo excipiunt *d. l. 43. §. ii. ff. de furt. l. 9. §. fin. ff. de A. R. D. d. §. fin. Inst. eod. arg. l. 8. ff. ad l. Rhod. de jact. l. 21. §. 1. & seq. ff. de adquir. vel amittend. poss. aded ut hi tam desperati fures de jure novo ex constit. Friderici confiscatione omnium suorum bonorum mulctandi sint *Authent. navigia. C. de furt.**

86. Nec hanc sententiam infringere potest ulla aliqua ejusdem loci contraria consuetudo, qualis est illa, quam olim in plerisque locis maritimis receptam fuisse *ex Bodin. de Republ. 10. pag. 267. & seq.* deprehendimus, quæ res ad pulsæ littori vindicabantur dominis territorii illius, quod mare alluebat; imò vigore illius consuetudinis, vel potius barbarici & crudelitatis, *ut hanc vocat Bodin. d. loc.* quando navis solvebatur periculo, vel impingebat nauta, & frangebatur vel subsidebat navis, non tantum res vectæ cadebant in commissum, verum etiam nauta periculum capitis adibat, *Wann ein Schiffman mit seinem Schiff versuhr oder Schiffe brüchig wurde/war er der Obrigkeit desselben Orts mit Leib und Gut verfallen/ quod videmus ex Constit. crimin. Car. V. art. 218.* Hæc enim & similes iniquæ consuetudines jamdiu in Imperio Romano, *non tantum d. constit. Imper. Frider. in d. Auth. navigia. sed etiam Imper. Carol. V. in d. artic. 218.* sunt abolitæ. Nam fiscus in aliena calamitate de re tam luctuosa compendium sectari non debet, *inquit Imperat. Antonius*



nis in l. 1. C. de naufrag. His addi potest l. 7. ff. de incend. ruin. naufrag. Geil. 1 observat. 18.

87. Sic & ille, qui res propter trepidationem incendij sub dium emissas lucrandi animo aufert, furti tenentur l. 1. ff. de incend. ruin. naufrag. l. 18. C. de furt.

88. Sed nunquid etiam rerum, ad hereditatem jacentem pertinentium, furtum fieri possit dubitatur? Neganti sententiæ adhærendum reor per l. 68. ff. de furt. l. 1. § 1. ff. si is qui test. liber esse juss. fuer l. 2. & ult. ff. de crimin. ex il hered. arg. l. 43. §. 5. vers. nec enim furtum fit. ff. de furt. junctâ l. 1. vers. nam res hereditaria. ff. de R. D.

89. Controversia quoq; non caret: an & hominum furtum committi possit? Et, si quidem alterius in potestate sint constituti, ut puta filius familias & servus, quin illorum, si furripiantur, patris familias & domino furtum fiat non ambigendum opinor per l. 14. §. 13. l. 37. & seq. ff. de furt. §. 9. Inst. eod. arg. l. 1. §. 2. ff. de R. V. l. 48. §. 5. l. 52. §. 28. ff. de furt. Quamquam illi, qui celandi seu privandi animo hos furripiunt & abducunt, etiam crimen publicum committant, adeoq; in pœnam legis Fabiæ de plagiaris incidant, l. pen. §. ult. l. 3. ff. ad l. Fab. de plagiar. & l. ult. C. eod. Et ita hinc Witebergâ aliquando duos Studiosos natione Danos abductos fuisse testatur schneid. in d. §. 9. Inst. de oblig. que ex del. et nasc. ut taceam quid ante aliquod annos cum Illustrissimis Adolescentulis ERNESTO & ALBERTO, olim Ducibus Saxonix, à CONRADO KAVFFVNGIO abductis contigisse notum est; in quem pœnâ à Constanten. d. l. ult. plagio constitutâ à FRIDERICO PLACIDO Electore animadversum fuisse tradit Heig. part. 2. quest. 32. n. 4.

90. ALTERIUS GENERIS NULLIUS RES si furripiantur, propriè non furtum sed sacrilegij crimen committitur l. 9. §. 1. ff. ad l. Jul. pecul.

91. Villis



91. Vtilis hinc sese offert quaestio: An nimirum ille, qui rem non sacram, sed profanam, *verbi gratia, privatam pecuniam* in aede sacra tamen depositam subtrahit, furtum vel sacrilegium committere dicatur? Et magnas inter Rhetores & Ictos hac de re olim fuisse disceptationes, ut penè, quid sequendum, incertum visum fuerit, refert Cuiac. 13. Obs. 19. Hodiè tamen, talem non sacrilegum, sed furem dicendum esse, de jure civili ex *Constit. Severi & Antonini* expeditum est *l. 5. ff. ad l. Iul. peculat.* Ut & hoc, quod rem factam ex privata seu profana domo, *calicem fortè vel scutulam illam, cui nostris in Ecclesiis, tempore administrationis Sacrae Cene, imponuntur hostia, ex adibus aurificis, vel casulam ex adibus sartoris,* surripiens non sacrilegus, sed fur dicendus sit *l. 15. §. 4. ff. de pan.* Licet utroq; casu de jure Canonico aliud dicendum sit *c. quisquis. 17. quest. 4.* cum quo convenit *Constit. crimen. Car. V. art. 171.*

92. POSTERIORIS GENERIS NULLIUS RES surripiens similiter non furtum, sed propriè crimen peculatus committit *l. 1. l. 9. §. 2. ff. ad l. Iul. pecul. l. unic. C. de crim. pecul.*

93. Quamvis autem ipsa Lex Julia peculatus in specie de PECUNIA publica concepta sit, *uti apparet ex jam d. ll.* cum tamen aliàs in jure nostro hoc verbum largam interpretationem recipiat, & pro omnibus rebus accipiatur *l. 4. l. 178. l. 222 ff. d. V. §. l. 2. C. de. Constit. pecun.* rectè etiam ad aliarum publicarum rerum subtractionem vis ejus extenditur *l. 4. §. fin. ff. ad l. Iul. pecul.* ut proindè me non errasse opiner, quod subtractione illarum rerum, de quibus supra *in fin. thes. 77.* in genere, nempè de BONIS publicis, locut<sup>9</sup> sum, in precedent. th. 92. crimen peculatus committi dixerim.

94. Insignis nunc oritur controversia: An ille, qui aliquid de bonis cujuscunq; civitatis surriperit, furti, an verò crimine



crimine peculatus teneatur, ad eòque hoc committat nen-  
tantum ille, qui rem urbis vel Reipublicæ Romanæ, sed et-  
iam qui rem cujuscunque alterius civitatis & municipii  
subtrahit? Et hoc posterius veritati & rationi Juris magis  
consentaneum esse videtur *per manifestum text. in d. l. 4. §.*  
*fin. ff. ad l. lul. pecul. & arg. l. 17. ff. de V. S. l. 9. ff. de usucap. jun-*  
*ctis ll. supra in tb. 92. adductis, arg. l. 1. §. 1. l. 13. §. fin. jun. et à l. 13.*  
*§. 1. ff. de publican. & vectig. Marc. Lycklama à Nyebolt 3. Membr.*  
*Eclog. 6.*

95. ALTERUM REQUISITUM ad hoc ut res furto sub-  
trahi possint est, ut illæ sint CORPORA. Nam, rerum in-  
corporalium, utpote quæ nec tangi nec contrectari pos-  
sunt, per se furtum fieri non potest l. 75. & ibi Gothofr. ff. de  
furt. arg. l. 43. §. 1. ff. de A. R. D. §. incorporales. Inst. de reb.  
corpor. & incorp.

96. TERTIUM ET ULTIMUM est, ut sint MOBILES.  
Immobiliū enim furtū fieri nequit l. 25. ff. de furt. l. 38. ff.  
de usucap. §. 2. in fin. Inst. ead. sed quod in illis furari dicitur,  
illud in his est rapere vel vi occupare Cuiac. ad l. 4 §. 27.  
ff. d. 1.

97. Utrum verò rerum quantitas & pretium in furto  
sit inspiciendum, ita ut hoc tantum in rebus magni valoris,  
non etiam in rebus minimis & quæ modici sunt valoris cõ-  
mittatur, jam dispiciendum est? Et quamvis quorundam  
votis in affirmativam itum sit, negativam tamen autorita-  
ti & rationi juris magis consonam esse opinor arg. l. 1. §. 3.  
ff. de furt. junctà l. 1. §. 1. ff. de legat. prest. manifest. & rotund.  
text. inc. ult. 14. q. ult. l. 2. §. 24 ff. vi bonor. raptor. N. 63. c. 1. ibi:  
*Vndè si parvam &c.* Vndè & gallinæ, cujus plerisq; in locis vi-  
lem esse estimationem notum est, ad eò ut VVergeldum pro hac oc-  
cisâ de jure Saxon. constitutum in octo tantum nummis consti-  
tat, Gloss. art. 121. Weichbildt, item columbarum, si surripi-  
antur, vel dolo malo ad alienum columbarium fucatis esculentis



trahantur, furtum committi constat ex §. 16. *Inst. de R. D. & l. 8. §. 1. famil. ercisc.* Certè non parum à justitiæ tramite aberraretur, si in delicto hoc æstimando, adeoq; actione ad hoc vindicandum concedenda, rerum ablatarum quantitas vel pretium attenderetur, cum hac ratione pauperibus furtum perpeffis, quibus tamen unus nummus non rarò pretiosior est, quam divitibus centum, via juris præcluderetur, contra tertium generalissimum juris nostri præceptum. Hinc *Gloss. ad artic. 29. libr. 2. Landrecht. in fin. ex illo articulo* sic colligit: *Ich sage dir daß vmb einen Pfennig mag einer den andern beflagen.* Cum certò certius sit, quamlibet agendi causam ac proindè etjam furtum non ex quantitate rei ablatæ, sed affectu æstimari debere *d. c. ult. 14. q. ult.* Quanquã autem in Camera Imperialis iudicio pro re minimã furti agere non liceat, *quod contrarium sentientes sibi patrocinari autumant*, de alijs tamen inferiorum tribunalium iudicijs aliud dicendum esse, manifesta diversitatis ratio suadet. Quod n. in suprema illa curia hoc non permittatur, rationem hanc esse puto: quia, *uti video ex Mynsing. 4. Observ. 40. & Geil. 1. Observ. 123 n. 1.* in Camera iudicio regulariter nullæ causæ recipiuntur, quæ non excedunt vel complent summam quinquaginta florenorum, *secundum statutum vel ordinat. Camera in part. 2. t. 28. §. vnd sonderlich 4.* quam tamen hodiè in Comitijs Imperij Anno 1570. *Spira habitis* ad centum & quinquaginta florenos auctam & productam esse *ex Recessib. Imperij* docent idem *Mynsing. 3. Observ. 89. & Geil. d. loc.* Atqui hanc rationem in inferiorib. iudicijs cessare quis negabit? Non immeritò itaq; & dispositio sive prohibitio cessat, & obtinent suprã adducta fundamenta, *arg. l. 74. ibi: vel quid si certa causa fuit & c. ff. de leg. 1. l. 6. §. 2. ff. de Fur. patronat. & c. cum cessante. 60. extr. de appell.* Cæterum licet hæc, propositæ quæstionis, sententia sit verissima, pro re modica tamen non criminalem, sed saltem civilem furti actionem

E nem



nem intentari posse moribus observatur teste *VV. senb. in par. d. loc. n. 10.* quod etiam vult Constit. Carol. art. 107. vers. *Wo aber jemandt.*

98. Et tantum de rebus ipsis quarum furtum fit vel fieri potest; consequens est, ut videatur, quomodo **E A R U M** **U S U S F U R T U M** fiat.

99. Hoc tunc committi, quando creditor re sibi pignori datâ ad suum commodum utitur, constat *ex l. 54 in pr. ff. de furt. §. 6. Inst. eod. & ibi Hortens.* Cum enim ex natura hujus contractus præter nudam rei pignoratæ possessionem, ad eò majorem scilicet debiti securitatem, nihil in ipsum transferatur *l. 35. §. fin. ff. de pignor. act.* hâc uti ipsi non permittitur; nisi *Jus ἀντιχρηστικόν, uti vocatur,* in illa constitutum habeat, quo casu licitè illâ uti potest *l. 11. §. 1. l. 23. d. t. l. 14 l. 17. C. de usur. Ant. Fab. in Error. Pragmat. Decad. 9. Error. 5. Borcholt. de usur. c. 6. n. 2.*

100. Præterea rei usus furtum committitur etiam tunc, quando depositarius re apud se depositâ utitur *l. 67. in pr. ff. de furt. l. 16. ff. de condict. fure. d. §. 6. Inst. de oblig. que ex d. l. nasc. ibiq. Hortens.* Hoc enim depositi contractus natura non permittit, quippè secundum illam res non usus sed custodia causa apud depositarium deponuntur *l. 1. in pr. ff. de po.* Undè si vestimenta mea, *forsan pallium,* vel quid simile, apud aliquem, *tanquam amicum,* deponam, iste verò, me vel famulo meo illud reposcente, fraudulenter & malitio è, *quod nonnunquam fieri solet,* in itinere restitutionem differat, deindè prætendat, hoc ab alijs se in scio interversum, adeoq; illud inficietur, eum in finem, ut postea interverendi causa ejus possessionem & usum adipiscatur, si non inter Laudem & Placentiam, sed Veronam versus ambulare, adeoq; scapham scapham appellare velim, quin furtum committat negare nequeo *ubi inspiciam l. 1. §. 2 d. l. 67 in pr. ff. de furt. l. 3. §. 18. ff. de acquir. vel amitt. poss. ff.*

101. Tam



101. Tandem usus furtum committitur, quando sartor vestimentis, quæ conficienda vel sarcienda accepit, utitur *l. 82. in pr. ff. de furt.*

102. Et hæc etiam de rerum usus furto dicta sint; nunc ordinis ratio postulat ut ad **E A R U M P O S S E S S I O N I S F U R T U M** transitum faciam.

103. Quod ut fiat, dico illud tunc committi, quando alicui res, cuius possessionem duntaxat habet, intervertitur. Ita si emptori res, quam bona fide emit atq; possedit, aut creditori res pignori data surripiatur, possessionis furtum fieri dicitur *l. 74. l. 12. §. 2. ff. d. t. §. 13. & 14. Inst. eod.* Licet enim aliàs nunquam furtum fieri, nisi possessio in effectu simul intervertatur, & *uti nervosè loquitur Hortens. ad §. 1. circa fin. Inst. d. t.* omninò incipere à possessione, semperq; fieri possessionis aut per possessionem, sit certissimum *l. 1. §. 15. ff. si is qui test. lib. esse iuss. fuer.* dictis tamen casibus b. f. emptori & creditori solius possessionis furtum fieri dicendum est.

104. Et tantum de materia furti dixisse sufficiat; nunc de eius **F O R M A** pauca dicenda sunt.

105. Quæ in ipsa rei contrectatione consistere dicitur: quippè sine hac nunquam committi posse notum est *ex l. 3. §. 18. ff. de acquir. vel amitt. poss. l. 1. l. 52. §. 19. l. 67. ff. de furt. l. 225. ff. de V. S. l. 18. ff. de pœn. l. 1. ff. quod quisq; jur. in al. stat. c. 14. de pœnitent. distinct. 1.*

106. Undè ad hoc, ut quis pro fure habeatur, non sufficit, si domum vel conclave alterius eum in finem eaq; intentione intraverit, ut indè aliquid abripiat, nisi etiam realis contrectatio subsequuta sit, licet non planè inultus dimittatur *l. 21. §. 7. ff. de furt. VVes. in par. ibid. n. 4.*

107. Sed hîc subjiciendum est, prædictam jam sententiam aliquantulum coarctandam atq; tantum ad forum fori sive soli, *uti dici solet*, dirigendam esse; quippè eandè ad



forum poli quoq; extendere impium esset, utpote in quo Rex Regum & Dominus Dominantium Imperij clavum tenet in quo ille causatum dijudicationi præest, qui est scrutator renum & cordium, & solus occulta eorum novit, 3. *Reg. 8. v. 40. c. consuiisti. 2. q. 5.* qui nõ contentus externâ obedientiâ, sed insuper internam quoq; Legis adimpletionem requirit, adeòq; solam & nudam furandi intentionem & propositum, quamvis nulla contrectatio subsequuta sit, ad Majestatis suæ Thronum vocat, & pro furto habet, *Exod. 20. v. 17. Deut. 5. v. 21. Roman. 7. v. 7. & 13. v. 9. c. 26. 29. & seq. de pœnit. distinct. 1.*

108. Non autem existimandum est, me putare, ad hoc, ut ab aliquo rei alienæ contrectatio facta sicq; furtum commissum dicatur, necessarium esse, plenam & perfectam illius ablationem sive amotionem præcessisse, vel etiam hanc amotionem per ipsius propriam personam factam esse; nullo modo. Potest n. contrectatio esse sive fieri etiam sine ulla aversione, *ut mox dicetur.* Deindè aliquis etiam in effectu, rem alienam contrectasse dici potest, quamvis non ipse sed alius eam contrectaverit sive amoverit, quod iidem ex sequentibus patefcet. Dicendum est itaq; contrectationem hanc duplicem in jure nostro admittere considerationem & intellectum; ita ut vel verè vel victè facta consideretur.

109. Priori modo fieri dici potest; vel quando contrectatio animo furandi realiter quidem fit, non tamen plenaria amotio sive aversio subsequitur, quia forsan per domini vel alterius cujusdam supervenientiam impeditur *l. 21. §. fin. ff. de furt. §. 6. Instit. de oblig. quæ ex del. nasc.*

110. Vel quando non tantum realis fit rei contrectatio, sed etiam hanc in rei veritate plena ablatio comitatur, *§. 6. Inst. d. 1.*

111. Vel tandem, quando non quidem res ipsa aufertur, sed



sed illa ad alium usum contra conventionis sive contractus legem transfertur. Nam & hoc casu non plenam ablationem sive amotionem necessariam esse, sed sufficere rem tantum attrahari lucrandi animo ait Wesenb. *in par. d. loc. n. 4. de quibus in præcedentibus fufius dictum.*

112. Altero modo fit, quando quidem nulla fit vera contractatio vel ablatio, sed tamen fictè res pro contractata & ablata habetur per interpretationem juris, quod hoc, ad effectum respiciendo, non aliter accipit, quam si revera res ablata esset.

113. Et hinc est, quod falsus procurator se præfente alii pecuniam annumerare jubens, qui tamen ipsemet nihil contractat vel auferit, æquè furti teneatur ac si ipsemet illam abstulisset *l. 43. §. 1. & 2. ff. de furt. Treut. d. disp. 30. tb. 1. lit. f.*

114. Indè etiam nequissimum illud hominum genus, qui fures vel res furtivas scienter, dolo malo, recipiunt & celant, ac propterea receptatores dicuntur, furti teneri apparet *ex l. 14. C. d. t. l. 1. ff. de receptator. §. 4. in. fin. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc.*

115. An autem tali modo furem cum rebus furtivis vel res ablatas receptans eadem, quæ principalis, plectatur poenâ, controversi juris quæstio est? Et licet hoc nimis durum, nec servatum se meminisse dicat Wesenb. *in not. ad Schneid. §. fin. n. 7. lit. b. Inst. d. 8. si tamen ad apices Iuris respicere velimus, affirmativæ subscribendum esse putarem per d. l. 14. C. de furt. l. unic. C. de crimin. pecul. l. 1. in pr. C. de his qui latron. vel al. crim. reos occuli. arg. l. 34. ff. de furt. juct. à l. 1. ff. de recept. arg. l. 3. §. 3. ff. de inced. ruin. n. usufr. c. sicut dignu. §. illi etiã in fin. extr. de homicid. & c. notum in fin. 2. q. 1. Eodem inclinatur Ius Saxon. dum *in art. 13 & 25. lib. 2. Landrecht* hæc decisio reperitur: *Wer Diebe hauset / oder Raub håhlet / oder einen mit hülf darzu sterck et / wird er dessen vberwunden / man sol vber ihn richten als vber jenen.* Hinc tritum illud germanicum proverbium*



um descendisse videtur, quo dici solet : *Der Häbler ist so gut als der Steher.*

116. Sed hæc de extraneis furibus receptatis accipienda sunt. Cognatos enim vel adfines fures, puta uxorem, patrem, socerum, generum, filium, fratrem, vel alios sanguine conjunctos & adfines receptantes mitiori pœnâ afficiendos esse docet Ictus Paul. *in l. 2. ff. de receptor.* quo etiam respicere mihi videntur Impp. Valentin. Valens & Gratian. *in verb. final. d. l. 1. C. de his qui latron. vel al. crim. reos occultar.* Siquidem propter sanguinis conjunctionem & affectionem naturalem nobis omnibus insitam & innatam, cui non parum tribuendum, nonnulla, quæ aliàs non concederentur, permitti videmus *in l. 4. §. fin. ff. de re milit. l. 30. C. ad l. Iul. de adult. l. 1. ff. de l. Iul. repetund. Menoch. libr. 2. de arbitr. judic. quest. cent. 4. cas. 348. & Mascard. de probat. Conclus. 1258. n. 7.* Si tamentales & ipsi delicti participes vel socij inveniuntur, quin eadem illos, quæ principales, expectet pœna vix ambigendum esse opinor.

117. Tandem secundum paulò ante dicta tenentur etiam opem vel consilium furibus scienter dolo malo præstantes. *l. 34. l. 50. §. 1. & 2. l. 52. in pr. & §. 19. ff. de furt. l. 53. §. 1. ff. de V. S. §. 11. Inst. de oblig. qua ex del. nasc.*

118. Opem præstare dicuntur qui ministeriũ atq; adiutorium ad surripiendas res præbent, vel qui in excubiis sunt eo tempore quò alii furtum committunt, *Welche die Wache halten* / vel qui ferramenta ad murum subfodiendum, ad ostium sive armarium effringendum, vel schalas ad ædes conscendendas scienter commodat, vel hujus generis similia faciunt. *l. 50. §. 3. & l. 54. §. 4. ff. de furt.*

119. Hanc tamen nemo præstitisse videtur, nisi & consilium malignum habuerit. *d. l. 50. §. 2. ff. de furt. & d. l. 53. §. 1. de V. S.* Licet enim hoc principaliter & expressè non semper interveniat, quin tamen implicite simul concurrat

nemo



nemo facilè inficias ibit; quid autem quæso refert expres-  
sè an tacitè cum ope sive auxilio hoc interveniat? nihil  
sanè uti innuere videtur Ictus Cajus *in d. l. 54. §. 4. in fin.*  
*ff. de furt.*

120. Consilium expressè sive principaliter dare videtur  
ille, qui persuadet & impellit atq; instruit consilio ad furtū  
faciendum *d. l. 50. §. 3. ff. de furt.*

121. Verùm hoc ita exaudiendum est, ut opem præ-  
stantes vel consilium præbentes non prius furti tenean-  
tur, quam si contrectatio secuta adeoq; furtum consumma-  
tum sit, *l. 52. §. 19. ff. d. t. & d. l. 53. §. 1. ff. de V. S.*

122. Idq; de consilium præbente tunc maximè verum  
est, si etiam ex conjecturis vel indiciis colligi possit, surripi-  
entem aliàs sine dato consilio furtum intermissurum fuis-  
se. *l. 11. §. 6. ff. de injur. l. 1. §. 12. ff. de vi & vi armat. l. 5. C. de  
accusat.*

123. Quoniam tamen res mali exempli est, furandi con-  
siliū dare, aut operam ad hoc scelus polliceri, etiam non  
subsecuto furto tales carcere aliquandiu fuisse punitos se  
meminisse dicit Wesenb. *in par. d. loc. n. 11.* quod etiam aliàs  
non incognitum est.

124. Quâ autem poenâ illi, qui opem vel consilium ad  
furtum commissum præstiterunt, sint affiendi inter Dd.  
magnæ et acris altereationis quæstio est? Et cum distinctæ  
hæ sint quæstiones distinctè etiam de iis est agendum. PRI-  
OREM igitur quod attinet, si hi furibus scientes dolo malo  
opem & auxilium, idq; à delicto non remotum, sed proxi-  
mum, vel ante actum delicti, vel in ipso actu, vel etiam  
post actum præstiterunt, *modò hoc ultimo casu ante per-  
petratum delictum jam aliquis tractatus de auxilio postmo-  
dum præstando præcesserit*, eadem, quâ principales, poenâ ple-  
stendi



Atendi sunt per l. unic. C. de crimin. pecul. l. 52. in pr. & §. 19. ff. de furt. l. 15. ff. ad l. Cornel. de Sicar. l. 4. §. 13. ff. vi bonor. rapt. l. 14. in pr. ff. ad l. Jul. de adult. l. 1. §. 13. ff. ad Sct. Turpill. c. notum. in fin. 2. q. 1. uti sentit Menoch. d. libr. 2. de arbitr. Judic. quest. cent. 4. cas. 349. & Heig. ad §. 11. n. fin. Instit. de obligat. que ex del. nasc. Et hanc ad sententiam respicere videtur Const. Elector. Augusti 40. part. 4. dum illos, qui indicio occasionem furibus delinquendi præbuerunt, so mit Kundschafften oder anweisung zum Diebstahl geholffen/ utpote auxiliium non proximum, sed tantum a delicto remotum, hoc ipso præstantes, non eadem quâ principales pœnâ afficit, sed tantum cum pœnâ virgarum ex his terris relegari jubet, sollen mit Staupenschlagen dieser Lande vorwiesen werden. Verum hoc limitat Moller. ad d. constit. n. pen. in fin. quem sequitur Reinh. Rosa ibid. in addit. ALTERAM QUESTIONEM quod attinet, puto illos, qui consilium ad furtum, ob hoc commissum, furibus præbuerunt, in eoq; suo animi proposito & consilio perseverarunt, nec ante delictum illud revocando contrarium efficaciter suaserunt, similiter eandem, quam principales, expectare pœnam per d. l. 53. ff. d. V. S. l. 11. §. 6. ff. de injur. c. sicut dignum. §. illi etiam. & seq. extr. de homicid. secundum mentem Menoch. d. cent. 4. cas. 351. & Heig. d. loc. n. pen.

125. Et hæc de forma furti. CAUSA FINALIS est ut lucrum indè speretur. Siæ hæc enim lucrandi intentione furtim fieri non potest l. 39. ff. de furd. §. 1. Inst. eod.

126. Indè si Studiosus amico & commilitoni suo, uti interdum fieri solet, librum, vel quamecunq; aliam rem, vexationis vel lasciviæ causa contrectet & auferat furtum non committit. In delictis n. ad voluntatem & propositum delinquentis respiciendum esse supra in thes. 50. dictum est.

127. Præ-



127. Præterea, hinc etiam fit, quod Ictus Vlp. dicat, eum, qui meretricem alienam ancillam rapuit, vel celavit, furtum non commisisse: nec enim factum quæri, sed causam faciendi; hanc autem libidinem fuisse, non furtum. Quo spectat, quod & illum, qui fores meretricis effregit, non eum in finem, ut hoc ipso furibus opem & auxilium ad res ejus surripiendas præstet, sed libidinis causa, si postea fures, non ab eo inducti, sed aliis ingressi, meretricis res egesserunt, furti non teneri idem Vlp. ait *in d. l. 39. ff. de furt.*

128. Denique; huc quoque respicit iam memoratus Ictus *in l. 52. §. 20. ff. d. t.* dum adseverat, eum qui alterius admittarios equos τῆς γυναικὸς ἔλαβεν cepit, illisque equas suas subjecit, furti non teneri, nisi celandi, supprimendi & lucrandi animo illos retinuerit. Hunc autem animum illum habuisse tunc intelligi, si dictos equos diu retinuerit, licet postea prætendat studium quærendæ stirpis & admitturæ, docet Cuiac. 13. *Observ. 6.*

129. Cognitis furti causis superest ut ejus EFFECTUM perpendam.

130. Hic in actionibus & pænis inde descendētibus consistit.

131. ACTIONES, quibus fures tenentur, non una vel altera sed plures sunt *l. 7. §. 1. ff. de condict. furt. §. ult. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc.* Odio enim furum receptum est, ut pluribus teneantur actionibus *inquit Imp. noster in §. 14. Inst. de act.* Hoc fervens contra fures odium Alexandrum quoque Severum, summum furtorum vindicem, commovit, ut præter severissimas pœnas nullum furum salutationi admiserit, illosque velut nequissimos è conspectu suo amoverit. *uti legitur apud Alexand. ab Alexandr. libr. 6. dier. genial. c. 10.* Et non tantum apud hos vel illos magnates & singulos aliquot homines, sed etiã apud omnes ferè gentes, fures in maximo odio fuisse ex historiis animadvertimus, prout infra in thes. 180. quoque dicitur. Imò ipsorum brutorum nonnulla eos hor-

F

rere





rere & reformidare solere legimus. De apibus enim Plin. *libr. 11. c. 16. natur. histor.* sic scribit: Aequitas quidem etiam in eis obstringitur, feruntq; societate fraudata alveos mori, in primis ergò præcipitur, ut lauti puriq; eximant mella, & furem, mulierumq; menses odere; idem *c. 7. lib. 19.* apes furtivas pessimè provenire, ait. Idq; veritate niti, illis, qui apes alunt earumq; naturæ per experientiam exactè sunt periti, non erit incognitum.

132. Dictis autem ACTIONIBUS aut REM ipsam persequimur, aut ad P O E N A M agimus.

133. REM persequimur, primò ACTIONE ad EXHIBENDUM, quæ est præparatoria rei vindicationis, *de qua in sequentibus*, ac proindè ejus usus in hac valdè necessarius *l. 1. ff. ad exhib.* Res enim furto ablata vindicari nequeunt nisi exhibeantur. Ideoq; receptum esse, ut unà cum rei vindicatione hæc actio præparatoria cumulari possit, testatur Wesenb. *in parat. n. 1. ff. d. t.*

134. Cæterum ad exhibendum agens rem furtivam exhibendam aliquot circumstantiarum argumentis designare, illiusq; quædam indicia, per quæ appareat, quid vel quale ei exhiberi debeat, ostendere tenetur *l. 3. in pr. ff. d. t.*

135. Quæ autem indicia hæc in re sufficiant, inquirere lubet? Si quidem rei exhibendæ qualitas indicia recipiat, ut puta si animalia, *forsan equi, boves & similia*, quibus signa, *ut fieri solet*, sunt inusta, & stigmata impressa, exhiberi petantur, & hæ notæ sive indicia indicentur, res est expedita; vel si similes dicti generis res exhiberi desiderentur, & illæ suis indicijs designentur *ut fit in l. 19. ff. de furt.* Si autem, *ut sæpius fieri potest*, res ita comparatæ sint, ut earum qualitas non facilè indicia recipiat, tunc arbitrio judicis id relinquendum esse putaverim. *arg. l. 1. §. ult. ff. de jur. de liber.*

136. Præ-



136. Præparatoriam hanc actionem sequitur REI VEN-  
DICATIO, quâ similiter ad ipsam rem furtivam recupe-  
randam contra furem agimus *l. 25. in pr. ff. de O. & A. l. 54.*  
*§. 3. ff. de furt. §. ult. Inst. eod.*

137. Verùm hæc actio tantum datur dominium rei fur-  
tivæ habentibus, non etiam illis, qui nudam possessionem,  
vel usum, & sic aliquod tantum interesse prætendunt. Ne-  
mini enim quam domino competere & utilis esse potest  
*l. 9. vers. ubi n. probavi & c. l. 23. in pr. ff. de rei vindic. & l. ult.*  
*C. eod.*

138. Contra furem autem tunc demum proponi potest,  
si rem furtivam possideat, vel dolo possidere desierit. Cum  
enim, *uti dictum*, hæc actio in rem sit, & propterea *ex na-*  
*tura harum actionum* contra furem nascatur non ex furto,  
sed ex eo, quod qui agit dominus est, & ipse qui convenitur  
rem possidet, sicq; contra furem detur non tanquam fu-  
rem, *qui nobis obligatus est*, sed tanquam rei possessorem,  
*qui nobis obligatus non est*, & hæc actione teneretur, *quamvis*  
*non ex furtivâ sed aliâ quacung; causa res illa ablata ad ipsum*  
*pervenisset, quæ natura demonstratur in l. 25. in pr. ff. de O. & A.*  
*& §. 1. Inst. de act.* meritò dicitur illam contra ipsum, *æquè*  
*ac contra alium*, non aliter dari, quam si dictam rem furti-  
vam possideat, vel dolo possidere desierit *l. 9. ff. de R. V. d. l.*  
*25. in pr. ff. de O. & A. l. un. C. de alien. jud. mut. caus. fact. l. 27.*  
*§. 3. & l. 36. ff. d. t. d. R. V.*

139. Proindè si res ipsa sine dolo & culpa furis, tan-  
quam possessoris, ante litem contestatam interierit, æquè  
ac alius possessor hæc actione non tenetur *l. 27. §. 2. & arg.*  
*l. 36. ff. de R. V. Heig. ad §. ult. n. pen. Inst. de oblig. quæ ex del.*  
*nasc. & ad §. 14. in fin. Inst. de act. & Vultej. ad §. 1. n. 48. Inst.*  
*d. t. de oblig. quæ ex del.*



140. Eandem quoq; ob causam contra furis heredem hæc non aliter competit, nisi quatenus possideat, aut dolo malo possidere desierit, aut nisi ipse fur, tanquam possessor in iudicio confessus fuerit, vel iudicio conventus post litis contestationem decesserit *d. l. 25. de O. & A. l. 1. de privat. delict. & ibi Gothofr. in not. lit. a. l. 1. ff. de confess. l. un. C. ex delict. defunct. in quant. her. ten. l. 42. l. 57. & seq. ff. de R. V.*

141. Caterum, quod etiam præcedentia satis innunt, rem nobis furto ablatam vindicare possumus, non tantum à fure ejusve herede, secundum dicta, sed etiam à quibuscunq; possessoribus, quacunq; ex causa ad ipsos pervenerit *d. l. 25. ff. de O. & A. & d. S. fin. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc. Vultej. d. loc.*

142. An autem illi, ad quem ex bona fide, forsan per causam emptionis, res furtiva pervenit, dominus rei vindicatione agens, ejus pretium refundere teneatur, non otiosa sed utilis est quæstio? Liberam domino rei suæ vindicationem absq; pretij, quod possessor expendit, refusione competere, manifesta & perspicua extant verba in rescripto Impp. Severi & Antonini ad negotiatores quosdam directo, quod reperitur in l. 2. C. de furt. ubi dictis negotiatoribus sic rescribunt: *Incivilem rem desideratis, ut agnitas res furtivas non prius reddatis, quam pretium fuerit solutum à dominis. Curatè igitur cautius negotiari, ne non tantum in damna hujusmodi, sed etiam in criminis suspicionem incidatis.* Et huic rescripto si ve sententiæ calculum suum adjicere videmus Imp. Alexandrum, Dioclet. & Maximian. in l. 3. & l. 23. C. de R. V. item Carol. V. in der peinlichen Halsgerichts Ordnung art. 213. ibi: ohne Beschwerung. & art. seq. ibi: niemandt nichts schuldig sein/ &c. & jus Sax. lib. 2. Landrecht. art. 26. ibi: seine Pfennig aber verlust er die er darumb gab/ &c. Hinc apparet falsò mereri nomen Juris regulæ, quod vulgò dicitur: *Hand soll Hand wehren*; omni enim destituitur Juris fundamento, prout .



prout jam dicta jura manifestè evincunt. Verum si talis possessor sumtus in rem furtivam fecerit, hi illi à domino restituendi sunt *secundum d. constit. crim. art. 213. & seq. Treutl. d. disput 30. thes. 3. lit. a.*

143. Si tamen contingat, ut quis à latronibus, hostibus, vel piratis res furtivas emerit, domino, nisi pretium expensum renumeret, illas restituere non tenetur, *uti volunt Pompon. & Tryphon. in l. 6. & l. 12. §. 7. ff. de captiv. & postlim. revers. Sichard. ad prædict. l. 2. n. 5. C. de furt.*

144. Idem dicendum opinor de casu, quo emptor pretium expendit, quod est conversum in utilitatem domini rem suam vendicantis, *per l. 65. ff. de R. V. & l. 19. C. de procurat. quod exemplo eleganter declarat Sichard. d. loc. num. 3.*

145. Sunt etiam non pauci, & inter hos ipse Sichard. *d. loc. n. 4.* quibus persuasum est, hoc de pretij restitutione extendendum quoq; esse ad casum quo emptor rei furtivæ protestatus est, se illam domini nomine emere, & paratum quandocunq; recepto pretio ej restituere, adeoq; optimam & tutissimam autumant pro rei furtivæ emptore esse cautelam, ad hoc, ne illam sine pretij, quod expendit, restitutione domino restituere teneatur: si scilicet suspicetur rem esse furtivam, & *uti jam dictum*, initio contractus protestetur coram testibus, aut literis contractus inserat, vel curet fieri singulare instrumentum, quod ea mente rem emerit, ut, si cognoscat cujus sit, velit eam pretio accepto restituere. Verum hoc meritò displicet Moller. 3. *Semest. 10.* Hac enim emptoris protestatio tanti momenti non est, quod liberam absq; pretio rei vendicationem domino auferre possit, *per vulgat. text. l. 11. ff. de R. J.* Et prætereà cui incognitum est, nimiam protestantis diligentiam non exilem doli præbere conjecturam? *l. 7. ff. de condit. inst.*



146. Et hæc etiam de altera actione, nempe rei vendicatione, quâ rem nobis furto ablatam persequimur, dixisse sufficiat: modò ad tertiam eamq; postremam, quæ speciali & proprio nomine **CONDICTIO FURTIVA** appellatur, progrediendum. Hæc similiter contra furem nobis competit, *non quidem tanquam possessorem, uti præcedens, sed tanquam furem, utpotè qui maleficio suo se obligavit*; & ea æquè ac præcedente non ad pœnam, sed ad rem persequendam agimus, sicq; est rei persecutoria *d. l. 7. §. 1. ff. de condict. furt. l. 54. §. 3. ff. de furt. §. ult. Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc. & §. 14. v. planè & c. Inst. de Act.*

147. Datur autem hæc actio, *quod cum præcedenti, uti dictum, commune habet, non nisi domino, l. 1. l. 18. ff. de condict. furt. l. 14. §. 15. in fin. ff. de furt. & quidem tamdiu tantum, dum dominium rei apud ipsum permanet l. 10. §. pen. ff. de condict. furt. non tamen indifferenter cuivis, uti illa, sed ei tantum domino, cui res subrepta est, ejusq; heredibus, l. 11. & seq. in pr. d. t. vel illis, qui loco domini sunt, veluti tutoribus ac curatoribus l. 56. §. 4. arg. l. 85. ibi: ob rem sua culpa & c. ff. de furt. Vult. d. loc. n. 48. & Myrsing. ad §. 14. n. 17 Inst. de Act.*

148. Nec ratione caret, quod dixi, hanc actionem ei tantum dari domino, cui res subrepta est, *id est, qui eo tempore, quo res ipsa subtraheretur, dominus erat, non etiam ei in quem postea dominium trāslatum est.* Constat enim, hanc actionem, quamvis rei persecutionem contineat, tamen personalem esse; quippe, cum cōdicere nihil aliud sit, quam in personam agere, indeq; personales actiones condictiones dici soleant, *suprà d. l. 25. in pr. ff. de O. & A. & §. 15. Inst. eod.* Iam autem ad hoc, ut personali actioni locus sit, ex natura ejus requiritur, ut actor personam rei sibi obligatam habeat, *d. l. 25. in pr. ff. de O. & A. & §. 1. Inst. eod.* quod nostro in proposito aliter fieri nequit, quam si ei obligata sit ex ipso furti maleficio. Sic verò illam obligatam tantum habet is, qui tempore commissi furti rei dominus erat,  
non



non etiam ille, ad quem post furtum perpetratum do-  
minium pervenit; *non enim huic, sed illi res est subtracta.* Ne-  
cessario itaq; tantum illi, non etiam huic, hanc actionem,  
*que, prout dictum, suo nomine Condictio furtiva, vocatur,* dari di-  
cendum est. Quamvis autem hæc ipsa ratio in herede  
domini non obtineat, utpote cum certum sit, ipsi à fure  
rem subtractam non esse, ac proindè nec hujus persona ipsi  
obligata, adeoq; condictioem deficere videatur, quia ta-  
men hæc actio, *uti dictum,* rei persecutionem continet, &  
omnium actionum, quæ rei persecutionem continet, hæc  
vis est, ut heredibus quoq; dentur *l. 14. §. 2. in fin. ff. quod met.  
caus. §. 1. Inst. de perp. & temp. act.* non immeritò, uti domino,  
ita etiam ipsius heredi competit; modò & ipse dominus  
manserit. Cum n., *uti in preced. thes. dictum,* nec ipsi do-  
mino condictio cõpeteret, si dominium ab ipso recessisset,  
*d. l. 19. §. pen. ff. de condict. furt. cui tamen revera res subrepta  
est,* multò minus ipsius heredi, *cui hæc ablata non est,* dabitur,  
si ejus dominus esse desierit.

149. Cæterum non mirum, vel inconveniens, ne dicam  
absurdum nobis videri debet, quod domino pro re sibi  
per furtum ablatâ recuperandâ detur condictio, quoniam  
eâ, *utpote actione personali,* petit illam sibi dari, id est, ejus  
dominium in se transferri, *l. 75. §. 5. ff. de V. O. l. 167. ff.  
de R. J. §. 14. Inst. de act. secundum naturam omnium in  
personam actionum l. 25. in pr. ff. de O. & A. §. 1. & §. 15. Inst.  
eod.* cum tamen hæc res ipsi dari, vel, *quod idem est,* domi-  
nium ejus in ipsum transferri per rerum naturam ne-  
queat, utpotè cum hoc per furtum, *quod indubitati Ju-  
ris est,* ipsi nunquam sit ademptum, ac proindè cum il-  
lud semper retinuerit, sicq; antea habeat, ut hoc in ipsum  
adhuc transferatur petere non possit; *quippe cum res, qua ipsi  
est, amplius ejus fieri nequeat l. 3. §. 4. ff. de adquir. vet. amitt. poss.  
l. 9. ff. de R. I. §. 10. Inst. de legat. & §. 14. Inst. de act.* hoc inquam  
mirum.



mirum nobis videri non debet. Illum enim scrupulum nobis eximunt ipsemet Imp. Iustinian. *in d. §. 14. Inst. de act.* & Ictus Vlp. *in l. fin. §. ult. ff. usufruct. quemadm. cav.* dum ajunt, *odio furum receptum esse, ut etiam hanc teneantur actione* & sic innuunt, quò huic actioni locus sit, fingi quasi rei dominium domino esset ablatum, & in furem translatum. Idq; tamen ad eum saltem effectum, ut tali modo Condiictione furtiva conveniri, eoq; arctius obstringi possit, non etiam ut in cæteris, ex quibus ratione dominii commodum percipi potest, pro domino habeatur.

150. Est autem hæc actio maximæ utilitatis, & non ita frustra hanc solam ob causam introducta, quò pluribus actionibus fures teneantur. Quo enim, *ut rectè ait Hortensius, ad d. §. 14. v. Planè odio. Inst. de act.* illos odisse, nisi præterea aliquid durius in eos statuatur? Nt itaq; hæc arctius & durius ipsos constringat, quam præcedens, *nempè rei vindicatio*, videmus, quamvis res ablata fortuito aliquo casu, & sine dolo aut culpa furis interierit, ipsum tamen hæc adhuc teneri *§. ult. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc.* scilicet ad ejus æstimationem quanti plurimi res unquam fuit à tempore commissi furti *l. 8. in pr. §. 1. ff. de condict. furt.* quod in rei vindicatione, *prout supra in tb. 139. dictum*, secus est.

151. Et quamvis dominus rem suam à fure jam tum vindicaverit, nihilominus tamen ipso jure adhuc ipsi residua est Condiictio, quippè, cum una alteram non tollat *l. 9. §. 1. ff. de furt.* Verùm, quoniam utraq; est rei persecutoria, si re vindicando sit consecutus, & postmodum etiam condiictione agere velit, oppositâ exceptione repelletur *d. l. 9. §. 1. §. l. 54. §. 3. ff. d. t. Borcb. ad. §. fin. n. ult. Inst. cod.*

152. Hactenus traditis subjiciendum est, id, quod supra dixi, hanc actionem non nisi domino dari, exaudiendum esse de Condiictione certi, non item de Condiictione incerti. Videmus etenim, etiam non dominum, si jus in re habeat, adeoq;



adeòq; per ejus subtractionem damno afficiatur, *quales sunt creditor, cui res pignori data, item commodatarius, cui res com- modata subrepta est, & similes, incerti cōdictione ad possessio- nē ej⁹ recuperandam agere posse l. 12. §. ult. ff. de condict. furt. & l. fin. §. 3. C. de fure.*

153. Vidimus nunc quibus hæc actio detur; restat ut con- sideremus, contra quos illa intentari possit. Hi non tan- tum sunt ipsi fures, *quod in præcedentibus quoq; dictum, sed et- iam ipsorum heredes, cæteri q; successores l. 5. l. 7. §. fin. ff. de condict. furt. §. ult. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc.* Idq; parum dubitationis habet.

154. An verò illa contra heredes detur in solidum, an verò in id tantum, quod ad ipsos pervenit, & in quo locu- pliores facti sunt, hoc multorum capita tor sit. Non in- certis n. vestigiis deprehenditur, omni tempore, quo Juris- prudētia nostra in flore fuit, etiam inter insignes & eximios Ictos, utramq; in partem variè de hoc controversum & di- sceptatum fuisse, ut proindè ego, tanquam Studiosus adhuc minus exercitatus, facilè commoverer, quin arduam & an- cipitem hanc controversiam hæc vice planè non attinge- rem; præsertim, cum videam ipsum etiam Cuiacium, *qui tamen quolibet facilè consentiente, acutissimus & exercitatissi- mus Ictus fuit*, in initio suam hæc de re sententiam confidenter & animosè exhibere non ausum fuisse, ita ut, sibi ad tempus subsistendum esse, tunc temporis scripserit: *quamvis postea alibi audacius illam expresserit.* Attamen cum illa præsentis sit materiæ, ac proindè silentio præteriri commodè nequeat, ultra sententia defendi possit, intentatum non est reliquen- dum. Et si inspiciam apertum & rotundum textum *l. 9. ff. de condict. furt. l. 7. §. ult. ff. eod. §. ult. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc. item l. 8. §. 1. l. ult. ff. d. t. de condict. furt. junct. l. 23. & l. 91. §. 3. ff. de V. O.* videtur mihi verior ipsorum esse sententia, qui omnem sequuntur, & statuunt: furis heredem Con-  
G dictione



ditione furtivâ teneri non tantum in id, quod ad ipsum ex delicto pervenit, sive quatenus ex re furtivâ locupletior est factus, sed quatenus succedit, id est, pro parte quæ ad ipsum pervenit, non ex delicto, *quod falsum est*, sed ex hereditate, sive, *quod idem*, pro eâ parte, pro quâ heres est: ita ut, si ex alio sit heres, in solidum teneatur, aut, si plures sint heredes, pro eâ parte, quâ succedunt, hoc est, heredes sunt, etsi ad neutrum aliquid de re furtivâ pervenerit. Huic communi interpp. sententiæ subscribunt *Ant. Fab. libr. 4. Conject. c. 1. Dom. Arumæ. Exercit. 17. thes. 9. & Clariss. Dom. Præcept. Forster in d. disp. ult. thes. 6.*

155. Vis nunc atq; perpenis actionibus rei persecutoriis, quas contra furem intentare possumus, jam dispiciendum est, quâ actione ille ad *POENAM* teneatur.

156. Illa est *ACTIO FURTI l. 4. §. 3. ff. de furt. & l. 7. §. 1. ff. de condict. furt.*

157. Et cum duo sint furti genera, sive species, prout *suprà dictum est*, duas etiam in jure nostro cernimus reperiri furti actiones; Vnam, quâ agitur ob furtum manifestum ad quadruplum, & alteram, quâ agitur ob furtum nec manifestum ad duplum, *l. 13. §. pen. ff. de bis qui notant. infam. l. 11. l. 19. C. de furt. §. 5. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc. §. 23. 25. & seq. Inst. de Act.*

158. In hoc verò quadruplo vel duplo ratio habetur tantum veri rei ablatae pretij, non etiâ ejus, quod interest; & in ejus æstimatione faciendâ ne utiquam solum respicitur ad tempus commissi furti, sed ad tempus, quô res unquam plurimi fuit à tempore commissi furti, *per evidentem text. l. 50. in pr. ff. de furt.*

159. Ratio, cur severior vindicta in furtum manifestum, quam nec manifestum constituta sit, præcipua hæc esse videtur: quia ea, quæ per se, & suâ naturâ turpia sunt, *quale furtum esse suprà in thes. 7. ostensum est*, si ad effectum  
respi-



respiciamus, propter malum exemplū, & scandalum, quo alij of-  
fenduntur, multò majori turpitudine committuntur, si a-  
pertè fiant, quam si tectè & occultè perficerentur; l. 2. §. 24.  
ff. vi bonor. raptor. c. ex tenore. extr. de tempor. ordinat. &  
c. nemo. 32. quest. 4. Schneid. ad §. ult. n. 4. Inst. de oblig. qua  
ex del. nasc.

160. Quanquam non inconcinna etiam videatur illa,  
quam tradit Cuiac. 19. obs. 12. dum putat, hanc ob rationem  
id ita constitutum esse: ut scilicet ille, qui in servandis rebus su-  
is vigilantior, & in persequendo & deprehendendo fure diligentior  
fuit, plus consequatur, quam aliter, qui illum non deprehendit, ad  
quem, ut hęc ratione aliquam negligentia sua pœnam sustineat  
eò minorem pœnam actione furti redire æquum esse, quò major  
culpa in hoc, quam illo, concurrat. Et hęc ratio eò minus im-  
probanda videtur, quò magis non incognitum est, aliàs et-  
iam juri nostro valdè congruere, quod vigilantes diligen-  
tiæ præmium accipiant, & desides atq; socordes negligentia  
pœnam ferant, arg. l. 24. ff. qua in fraud. credit. & l. 4. ff. quod vi  
aut clam.

161. Hac autem in re verissimum esse Cuiacij præsup-  
positum, quod videlicet furtum non casibus fortuitis, ut  
nonnulli sibi persuasum habent, sed potius nostræ culpæ sit an-  
numerandum, certi juris est, prout luculenter apparet ex l. 52.  
§. 3. ff. pro soc. l. 14. §. 1. ff. de peric. & com. rei vend. fac. arg. l.  
18. in pr. ff. commod. l. 1. C. eod. & l. 6. C. de pigner. Act. ubi casus  
fortuitus dicitur is, qui humano consilio non potest prævi-  
deri, aut cui non potest resisti. Atqui virum vel patrem-  
familias diligentissimum res suas ita custodire posse, ut nõ  
à furibus intercipientur, quis negabit? vid. Duar. ad t. C.  
commod. c. 8. pag. 956. Necessariò itaq;, quod volo, sequi-  
tur.

162. Nisi sit furtum domesticum. Hoc n., quemadmo-  
dum etiã supra in thes. 37. tactū est, hominis consilio prævideri



& præcaveri vix potest, ac proindè inter casus furtivos rectè numerari solet. Maximè cum domesticis plurimum fidei habere soleamus, illorumq; manibus res nostras absq; diffidentia concedamus; quod etiam ipsa necessitas ut plurimum efflagitare videtur, quippè cum omnia, quæ in re familiari occurrunt perficienda, ipsimet expedire, omnesq; res semper obseratas & inclusas habere nequeamus, imò non rarò, *pro qualitate & conditione patrisfamilias*, vix hoc possibile sit. Iam autem furtum, quod committitur per aliquem cui meliora confidimus, habendum esse pro casu merè fortuito *ex l. 20. ff. commod.* decidere Bald. *Consil. 89. volum. 1.* testatur & sequitur Sichar. *ad l. que fortuitis. c. n. 8. C. de pignorat. act.*

163. Hinc sequitur, commodatarium, qui rem commodatam, *librum fortè, vel aliud quid*, commodanti remittit per famulum suum, cui antea in similibus casibus semper fidè habuit, si hic cum illa re aufugiat, non teneri; cum commodatarius casum fortuitum præstare non teneatur, *d. l. 18. in pr. ff. commod. l. 1. C. eod. c. un. extr. eod. §. 2. Inst. quib. mod. re contr. obl. arg. d. l. 6. C. de pignorat. et juncto §. actionum autem 28. Inst. de act.* Et huc etiam inclinare videtur Sichard. *d. loc.*

164. Porrò furti actio, sive dupli, sive quadrupli sit, ad meram pœnæ persecutionem dirigitur, ita ut tota pœnalis sit, nec simplum, id est ipsa res subtracta, in duplo vel quadruplo contineatur *l. 54. §. 3. ff. de furt. l. 7. §. 1. ff. de condict. furt. §. ult. Inst. de oblig. que ex del. nasc. §. 14. Inst. de Act. quippè cum dominus simplum illud supra dictis actionibus extrinsecus persequi possit; idq; etiam post solutam dupli aut quadrupli pœnam, cum illæ actiones rei persecutoriæ per hanc pœnalem, & vice versâ, non tollantur *d. l. 54. §. 3. & d. l. 7. §. 1.**

165. Quamvis n. aliàs regulariter in pœnis res ipsa includatur



cludatur, *Gl. ad l. 5. §. 1. ff. de publ. & vectig.* uti etiā fieri videmus in ea, ad quā ex Edicto de publicanis tenetur publicanus, ob injustè extorta prætenu vectigalis, *d. l. 5. §. 1.* item in ea, ad quā actione de rationib<sup>9</sup> distrahendis tenetur tutor pecuniā pupilli intervertens *l. 2. §. ult. ff. de tulet. & rat. distr.* similiter in illa, ad quam actione vi bonorum raptorum tenetur raptor violentus, *pr. Inst. vi bonor. rapt.* in hac tamen, quæ exigitur actione furti, specialiter id ita constitutū est, ut in illa res ipsa non contineatur; cuius rei ratio procul dubio erit fervens contra fures odiū, *d. §. 14. Inst. de act. Schneid. ad §. ult. n. 4. in fin. Inst. de oblig. que ex del. nasc. post Zaf. in §. ex maleficiis. 18. Inst. de act.*

166. Vtrum autem hac furti actio ex prætoriam iurisdictione, an verò ex lege 12. tabular. descendat, adeoq; civilis sit, aliquot summæ authoritatis atq; famæ Icti invicē contendunt. Et quidem illam, quā agitur ob furtum manifestū ad pœnam quadrupli, esse prætoriam, facilè inter ipsos convenit, ad quod videri potest *Gell. d. l. 11. noct. Attic. c. 18. & text. express. in fin. pr. Inst. de perpet. & temp. act.* Sed de ea, quā ob furtū nec manifestum agitur ad pœnam dupli valdè controvertitur. Verū ut ut sit, sententiā tamē illorū, qui statuūt, hanc esse civilem ex antiquissimis 12. tabular. legibus, verissimam esse manifestè apparet, si accuratius inspiciantur verba *Catonis*, quæ in præfat. libr. de re rustic. hunc in modum refert: *Majores nostri, inquit, sic habuerunt, & ita in legibus posuerunt, furem dupli. condemnari, fœneratorem quadrupli:* junctis illis, quæ habet *Gell. de c. 18. text. express. in l. 1. §. 3. ff. furt. advers. naut. l. 1. §. 1. in pr. juncto §. 10. vers. nam si & c. ff. si is qui test. lib. esse juss. fuer. arg. d. pr. in fin. Inst. de perpet. & temp. act.* Quam sententiam nervosè tuentur *Cont. 1. lect. subseciv. 2. Vult. ad §. 1. n. 55. Inst. de oblig. que ex del. nasc. Clariss. Dn. Förster. Preceptor meus honorandus d. disp. ult. thes. 3. & Dn. Bocet. d. Claß. 4. disp. 1. thes. 64.*



167. Cæterum non modò civiliter vel pecuniariter, ad hætenus dictam ordinariam pœnam auctori applicandam, sed etiam criminaliter, ad publicam extraordinariam & arbitrariam vindictam, furti actio intendi potest, ita ut fur, de nostro Iure civili, pro commisso delicti qualitate & circumstantia, vel pecuniariâ pœnâ fisco applicadâ, vel corporali, vel relegatione, vel in opus publicum aut metallum damnatione, vel carceris coërcitione, & simili, non tamen ultimo supplicio, adficiatur, l. ult. ff. de privat. delict. l. ult. ff. de furt. l. 1. & ult. ff. de furib. balnear. l. 1. §. 1. & seq. cum l. ult. ff. de effract. Auth. sed novo Iure. C. de serv. fugit. Nov. 134. c. ult.

168. Dantur autem hæ furti actiones omnibus illis, quorum ratione rei subreptæ, non verò aliundè, honestâ & probabili ex causâ interest, rem illam salvam esse, vel illius furtum factum non esse, sive illius rei domini sint, sive nò, l. 10. 11. & 12. l. 14. §. 14. in fin. §. pen. & ult. l. 76. §. 1. ff. de furt. l. fin. in pr. C. eod. §. 13. Inst. eod.

169. Ita tamen, ut, si hujus domini non sint, singulariter attendendum sit, ipsis tunc demùm has competere, si & rem domini voluntate tempore commissi furti tenuerint, vel quoddam Ius in re constitutum habuerint, l. 85. in pr. ff. de furt. & postea ob id, quod illa penes ipsos furto perierit, teneantur, hoc est, ipsorum periculo res sit, l. 14. §. 10. ibi: neq. n. is cuiuscunq. & c. & §. 16. ibi: & puto omnibus & c. ff. eod. aliàs, uti quidem mihi videtur, vix erit, ut hisce extricis, quibus à nonnullis textibus, qui invicem hæc in re pugnare videntur, implicamur, nos extricare possimus.

170. Indè videmus illas dari creditori ob rem pignori datam l. 12. §. 2. ff. d. t. l. pen. C. de pignor. §. 14. Inst. de oblig. qua ex del. nasc. commodatario ob rem commodatam l. 14. §. 14. cum duob. seqq. l. 48. §. 5. ff. de furt. l. 5. §. ult. in fin. ff. commod.

& con-



& conductori ob rem conductam subreptam, ut sartori *solvendo existenti*, cui vestes, quas certâ mercede constitutâ faciendas vel conficiendas accepit, ereptæ sunt, & similibus, *d. l. 12. in pr. l. 14. §. 16. ff. de furt. §. 15. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc.*

171. In tantum, ut ipsis competant non solum adversus extraneum, verum etiâ adversus ipsum rei dominum, si hanc ipsis subriperit, modò commodatarius & conductor ob aliquas impensas Ius retentionis in re habuerit, *d. l. 12. §. 2. l. 19. §. pen. & ult. l. 20. in pr. l. 79 ff. d. t. §. 10. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc. l. 15. §. ult. l. 59. ff. d. t.*

172. Si verò contingat, ut non unius tantum, sed plurimum simul intersit, singulis ratione sui interesse actio furti competit, *d. l. 12. §. 2. l. 14. §. ult. l. 46. §. 1. l. 74. ff. d. t.*

173. Cum autem in omnibus exemplis, *quot quot etiam occurrere video*, quibus illi, cuius interest, actio furti datur, ipsius principaliter intersit ratione damni emergentis, nõ ratione lucri cessantis, eò ipso satis arguitur, ad hoc, ut alicui detur hæc actio, nihil facere, si interesse suum deducat ex lucro cessante, sed necessariò requiri, ut ipsius intersit ratione damni emergentis; maximè cum ad hoc sit textus perspicuus *in l. 71. in fin. ff. de furt.* Licet non negandum sit, illum, qui principaliter suum interesse demonstrat ex damno per furtivam rei ablationem illato, simul etiam lucrum, quod ipsi illâ interversum est, per consequentiam petere posse, *uti vult Ictus Vlp. in l. 52. §. 28. ff. d. t.* Et si hæc conjungantur cum illis, quæ in præcedenti thes. 169. dicta sunt, forsân eò facilius ex tactis ibidem difficultatibus nos evolvemus.

174. Percepimus hæc hactenus, quibus hæc actio detur: cõsequens esset, ut consideraremus, contra quos intetari posset, verum cum de hoc etiam supra quædam tradita sunt, *quæ huc referri poterunt* in eo nõ diutius immorandum esse censeo.

175. Illud



175. Illud tantum hic addendum, quod illa, quamvis heredibus furtum passi non denegetur, contra furis heredes tamen non competat, *l. 38. l. iii. § 1. ff. de. R. I. & §. 1. Inst. de perpet. & temp. act.* utpotè cum regulariter morte rei delictum & pœna extinguatur *l. 6. ff. de publ. judic. l. 15. §. 3. ff. ad Sci. turpill.* nisi lis cum defuncto sit contestata. *l. 139 l. 164. ff. de R. I.* vel aliquid ex ejus delicto ad heredes pervenerit. Hoc enim casu, sicuti pœnâ non tenentur, ita quoq; illud lucrû ipsis extorqueri æquum est, ne alieno scelere ditentur. *d. l. 38. & l. unic. C. ex delict. defunct. in quant. hered. conven.*

176. Nec etiam prætereâ omitrendum, eò casu, quò plures furum socii simul furtum fecerunt, regulariter singulos in solidum actione furti teneri, nec unum per alterius pœnam liberari, juxta regulam: *tot sunt delicta, quod delinquentium persona l. 34. ff. de injur. item: quod à pluribus pro indiviso fit, singulos in solidum obligat l. 11. §. 2. ff. quod vi aut clam. & textus expressos in l. 55. §. 1. ff. de administr. tutor. & l. 1. C. de condit. furt.*

177. Hinc, si duo pluresve unum tignum, unamve statuam, vel ejus generis aliquid, quod singuli tollere non potuerunt, furati sint, singuli in solidum tenentur *l. 21. §. pen. ff. de furt. l. 51. §. ult. ff. ad l. Aquil.* Contrarium Hotoman. *quæst. Illustr. 33.* sentiendum esse existimat eo in casu, quo plures simul segetem secuerunt, aut armarium, in quo forsitan est mundus muliebris, vel magnam cistam, cui multa pretiosa sunt inclusa, quam unus tollere non potuit, sustulerunt. Hos enim non singulos, sed tantum universos, in solidum teneri concludit *arg. l. 21. in pr. ff. de furt.* Cujus diversitatis rationem certè non è Sutrina, sed ex ipsis Philosophiæ adytis depromptam reddit, dum distinguit inter totum continuum & totum dejectum; quam distinctionem comprobat *l. 30. ff. de usu. cap. l. 23. §. 5. v. At in bis. cū seq & ibi Gotbofr. in not. lit. u. ff. de R. V.*

Ita



Ita ut, cum in priori præmissis casu sit sublatum totum continuum, quod est indivisum, & prout facti in d. u. more Stoicorum loquuntur, uno spiritu continetur, in altero verò totum dejectum, quod est dividuum, & ex distantibus partibus constat, rectè concludatur, ibi plures furti complices vel consortes singulos ad pœnam exolvendam in solidum teneri, hîc verò tantum universos. Ratio rationis est perspicua: quia nimirum quod divisionem in partes non recipit, id nec etiam pro parte sublatum dici potest, ac proinde, si plures simul illud sustulerint, ab omnibus, id est, singulis, in solidum quodammodò sublatum videtur; quod verò in partes, vel potius res singulas, dividi potest, si à pluribus sublatum sit, non à quolibet in solidum, sed à quolibet pro parte, sublatum videtur, quasi videlicet quisq; tantum partem suam sustulisset, arg. l. 4. §. 1. ff. de V. O. Sed hæc de pœna Juris communis civilis exaudienda sunt; de illa, quæ hodiè Jure Saxonico hoc casu statuta, aliter sentiendum est, uti apparet ex Constit. Elect. Augusti 32. §. vnd wo jhr viel zugleich stelen part. 4. ubi Moller. n. 15.

178. Superest ut hætenus dictis nunc addatur, quod quamvis criminalis actio & pœna furti olim fuerit extraordinaria, illa tamen postea ex Constit. Friderici I. quæ extat in t. de pace tenenda 27. §. ult. libr. 2. feud. facta sit ordinaria, dum illâ illi, qui quinque vel plures solidos furati sunt, tanquam pacis publicæ turbatores laqueo suspendi, qui verò minus, scopis & forcipe castigari jubentur. Ob quam constitutionem, etsi quidam, inter quos est Paris de Puteo in tract. de Syndicat. verb. crudelitas officij. c. 1. n. 5. & post eum Nevizan. in Sylv. nuptial. libr. 1. n. 69. clamitent, Imperatorem Fridericū malâ morte obiisse, ejusq; animam in inferno torqueri, appositè tamen ipsis obviatur à Menoch. 2. arbitr. Judic. quest. cent. 3. cas. 295. n. 13. in fin. dum dicit: sunt hæc somnia vigilan-

H dium,



aium, Friderici animam & voluntatem iudicavit Deus, cuius ar-  
cana hominibus cognita non sunt.

179. Imò non demùm ex hâc Constitutione Friderici,  
sed ante eum ex Jure Saxonico, quod multò antiquius esse no-  
tum est, pœna furti capitalis, suspendij nimirum, esse coepit,  
uti constat ex art. 13. libr. 2. Landtrecht. ibi: Den Dieb soll man  
hengen / licet illud certam furti summam, qua ad dictam  
pœnam infligendam sufficiat, & necessario requiratur, non ex-  
primat, sed illam definire demùm videatur dicta Constitu-  
tio Frider. uti sentit Clariss. Dn. Dominic. Aruma. Exercit. 17.  
ib. f. 7. & ad hoc allegat Consultat. Constu. Saxon. part. 4. quest.  
4. num. 10.

180. Dicta itaq; suspendij pœna originem trahit ex Ju-  
re Saxonico, quæ, cum observabatur non tantùm apud om-  
nes ferè Orbis Christiani nationes, sed etiam apud Tur-  
cas, Europæos, & Asiaticos, uti refert Riseberg in Relat. rer.  
Turcic. c. 4. p. 35. & Raurolf. itinerar sui p. 1. c. 3. postea ap-  
probata est d. Constit. Frider. donec illam recentiori etiam  
sanctione confirmavit Carol. V. in der peinlichen Halsges-  
richts Ordnung artic. 159. cum trib. seqq. Quibus tandem  
hiscæ in terris accessit Constit. Elector. Augusti 32. part. 4.  
Hiscæ ex locis circumstantiæ, quæ ad hoc, ut dicta suspen-  
dij pœna locum habeat, requiruntur, desumi pos-  
sunt.

181. Inter illas, cum ferè præcipua hæc sit, quòd secun-  
dum Constitut. Carolin. requiratur, ut simplex furtum  
tertia vice iteratum sit, quaeritur, an etiam illa furta, quæ di-  
versis in territorijs sunt commissa, ibiq; leviori pœnâ puni-  
ta, vel Principis indulgentiâ remissa, in computationem ve-  
niant, adeoq; pro tertio talia subsecuto fur sit suspendendõ?  
Quod secundum Constitut. Carolinam, quæ indistinctè  
loquitur, affirmandum erit. Præsertim cum pœna uno in  
loco semel imposita nullam adferre possit impunitatem.

h. 280.



*l. 28. §. 3. ff. de pœn. l. 3. in fin. C. de Episc. audient. l. 8. §. 1. C. ad l. Jul. de vi publ. & reiteratio delicti & consuetudo furandæ hîc adsit, quæ hoc casu sola attenditur. Sichard. ad Aub. sed novo Jure. n. 26. C. de Serv. fugitiv. Trcutl. d. disp. 30. th. 3. lit. f. & Reinb. Rosa in addit. ad Moller. comment. super Const. El. Et. part. 4. const. 32. n. 13.*

182. Quo casu tamen in hâc arduâ re solæ incertæ & generali furum confessioni, quam vel ultrò, vel in tormentis præstiterunt, quod videlicet atibi plura furta commiserint, fidem non habendam esse docet Sichard. ad d. Aub. sed novo Jure. n. 24. arg. l. 1 §. 24. ff. ad Scî. Syllan. junctâ l. 6. in fin. ff. de appellat. quibus addi potest l. 1. §. 27. ff. de quest. l. 58. §. 2. ff. de adilit. edict. sed monet Judicem, ut prius per nuntium à Judice illius loci, ubi fur se furatū esse confessus est, rem ita se habere resciscat, vel alio modo, an ea, quæ fur confessus est, revera facta sint, diligenter inquirat, ne aliàs propriam animam & corpus suum damnet, uti loquitur Ang. in tract. de malefic. in verb. etjam vestem coelestem. n. 25. Hinc Zasius in §. ex maleficijs. 18. n. 3. Inst. de action. non immeritò prudenter Judices monet, ut hâc in re sint circumspecti, ne suâ fures suspendendi facilitate in præceptum Decalogi, quò non occidendum esse præcipitur, committant.

183. Multò minus itaque solis furum confessionibus, quam, postquam de se confesi sunt, etjam de socijs deponunt, confidendum est. Adeò, ut quidam velint, fures de se confessos, ne quidem interrogari posse de socijs & receptatoribus l. 16. §. 1. ff. de quest. & l. ult. circa fin. C. de appellat. nescilicet alienam salutem in dubium deducat, qui de sua desperavit Paul. 1. recept. sentent. 12. §. ult. Quorum tamen sententiam veram puto tantum ad hoc, ut furis nuda adsertioni vel confessioni non sit in totum fidendū, & propter illam cum eo, quem indicavit, statim ad torturam vel crucem propterandum;

H 2 non



non etiam ad hoc, ut talis interrogatio in totum omnittenda, vel confessio rejicienda, & pronibilo habenda sit. Quid enim prohibet, quo minus fur, si tale furtum commiserit, quod sine socijs committi non solet, de illis interrogari possit? ad hoc nimirum, ut si tales indicet, qui sunt spectata vel probata fidei & bona fama, illius confessio pro nulla habeatur, si verò tales, qui sunt suspecte fidei maleq; conditionis & fama, vel super illos accuratius inquiratur, vel illis purgatio injungatur, uti pronunciat in c. 1. extr. de confess. & innuitur in d. l. 58. §. 2. ff. de adil. edict. Maximè, cum congruat officio Præsidis malos homines conquirere, illisq; Provinciam expurgare l. 13. ff. de offic. præs. Idq; procul dubio hodiernæ consuetudini congruet.

184. Utrum verò ob unicum simplex furtum magnum, quod tria parva, quoad quantitatem, exæquat, fur suspendendus sit, acriter disceptatur? Et hâc in re distinctè procedendum arbitror. Si quidem tale furtum simplex sit, id est, si non concurrat quædam illarum circumstantia, quæ aliàs furtum aggravant & atrocius reddunt, qualis sunt effra-ctio, ruptio, adium ascensio, teli gestio, Const. Carol. 159. cum seq. suspendij pœna locum non habet. Quod enim non mutatur, quare stare prohibeatur? sunt verba Imp. Justin. in l. 27. C. de testam. Jam autem primum simplex furtum per se nufquam fuit capitale, t. t. ff. de furt. Auth. sed novo Jure. C. de serv. fugit. Nov. 134. c. ult. nec hoc in d. Const. Carol. mutatum reperitur. Ergò &c. Hinc Imp. Theodos. & Valent. in l. 32. §. ult. C. de appellat. respondent, illud, quod nova aliqua constitutione non exprimitur, veterum legum constitutionumq; regulis relictum censerit. Accedit, quod mortis pœna non propter delicti magnitudinem, sed ob solam ejus reiterationem & frequentiam imponatur d. l. 28. §. 3. ff. de pœn. l. 3 in fin. C. de Episc. audient. Constit. Carol. 162. Si verò dictarum circumstantiarum quædam, vel alia, quæ fur-  
tum



tum aggravat, ad sit, quin fur suspendi possit non negandum erit, d. Const. Carol. 159. cum seq. ibi: an Leib oder Leben &c. Et de hoc casu intelligi posse opinor d. Const. Elector. §. Wann einer vber fūnff. &c. Licet enim ibi in §. hunc subsequente addatur, hoc casu illam circumstantiam, an videlicet cum effractione, nec ne, furtum commissum sit, non attendi debere; quin tamen aliæ circumstantiæ furtum aggravantes vel extenuantes attendi debeant non prohibet, quod apparet ex vers. Jedoch soll gleichwol. Et huc etiam inclinare videtur Moller: ibid. in Comment. n. 11.

185. Pro magno autem furto quodnam habeatur declarat Moller: d. loc. n. 9. & Reinh. Rosa in addit. ibid.

186. Et quamvis in d. Const. Carol. art. 159. & 162. circa suspendij pœnam distinguatur, utrum fur sit masculus, an fœmina, ita, ut masculus suspendi, fœmina verò culeo infuta aquis suffocari jubeatur; quod etiam quibusdam in locis ita observari dicit Schneid. ad §. ult. n. 7. in fin. secundum dispositionem tamen Juris Sax. in d. art. 13. libr. 2. Landtrecht & Const. Elector. 32. & hodiernam frequentiore, hisce præsertim in regionibus, observantiam, æquè fœminas ac mares suspendendos esse testantur Fächs. Zobel. Schneid. & Coler. quos allegat & sequitur Reinh. Rosa in addit. ad Moller. d. loc. n. 10. ad cujus confirmationem faciunt ea, quæ tradit Gædd. ad l. 1. n. 53. ff. de V. S. Maximè cum non ita multum refragetur Const. Carol. uti colligi potest ex art. 162. ibi: Nach jedes Landts Gebrauch.

187. Sed utrum fur in alia Jurisdictione, ubi furtum non commisit, sed tantum cum rebus alibi furto ablatis est deprehensus, puniri possit; an verò ad locum illius Jurisdictionis, ubi furtum commissum est, remittendus sit, à multis in dubium vocatur? Et, si quidem ad nostrum Jus Civile respiciamus, quin talis fur cum elogio captivi, uti vocari solet, vulgariter Brgicht, ad locum Jurisdictionis, ubi fur-



tum commisit, sit remittendus, parum dubitationis habet,  
quod evincunt l. 7. §. pen. & ult. ff. de accusat. l. 7. ff. de custod.  
& exhibit. reor. Nov. 134 cap. 5. Auth. si vero. C. ad l. Jul. de  
adult. arg. l. 9. ff. de furt. cap. 1. extr. de raptor. Clement. 2. de  
sentent. & re indic. Omnino enim æquum est, ut illi iudici,  
cujus Jurisdictio per delictum, adeoq; per contemptum,  
violata atque læsa est, & non alio, vindicta & pœna conce-  
datur l. 3. in pr. ff. de re mil. Præsertim, cum delinquentem,  
ratione delicti, non in loco captivitatis, sed in loco delicti,  
forum sortiri sit certissimum l. fin. ff. de accusat. & præterea,  
si delinquentes in loco commissi delicti puniantur, non parum  
faciat ad hoc, ut alij ejus loci exemplo pœnarum à sceleribus  
& delictis deterreantur l. 28. §. ult. ff. de pœn. Si verò ad ho-  
diernam Germaniæ consuetudinem respiciatur, aliud di-  
cendum est. Secundum illam enim delinquens sortitur  
forum & iudicium in loco captivitatis, adeoq; remissiones,  
quæ olim ad desiderata Iudicis territorij, in quo delictum erat  
commissum, necessario fiebant, amplius locum non habent,  
sed delinquens in territorio, ubi captus est, supplicium  
subit, die vberschickung der Gefangenen hat nicht stat; licet  
non rarò inter Principes & Civitates Germaniæ aliarumq;  
Provinciarum ad locum delicti delinquentium transmis-  
siones adhuc, non quidem ex necessitate, sed tantum precario  
& jure amicitie, & vicinitatis atque benevolentie, in majoris  
bus & atrocioribus delictis, propter exemplum, observari so-  
leant: ita tamen, ut prius per literas reversoriales, mit eis  
nen Reversz oder gegenbekântniß / domino transmittenti ca-  
veatur, ne hujusmodi precario facta transmissio ipsius Juris-  
dictioni aliquando futura sit nocumento, sed sine præjudi-  
cio, quodq; ille, ad cujus territorium fit remissio, aliquan-  
dò, si talis casus obtigerit, idem facturum sit, uti testatur Geill.  
libr. 1. de P. P. c. 16. n. 30. & seq. Verum hisce in terris per pe-  
culiarem Elector. Saxon. Augusti constitutionem An. 1555. sub  
tit.



rit. Daß man die Ubelthäter / so in den ämptern verbrochen  
vnd entweichen / wiederumb in die ämpter folgen soll lassen /  
in hoc puncto iterum ad jus Civile reditum esse, & reo-  
rum ad locum delicti remissiones necessariò fieri debere  
trahit Andr. Rauchbar. *part. 1. quest. ult. num. 26.* & Matth.  
Stephan. *lib. 1. de Jurisdic. cap. 30 num. 19.* Id quod etiam a-  
llquando à Viro Amplissimo & Consultissimo Dn. Hirsch-  
bach. Præs. Præcept. & Hosp. meo honorando me audivis-  
se memini.

188. An autem sententiæ, quâ reo suspendij poena di-  
ctata est, etiam eâ ipsâ die, quâ Sacrà Synaxi usus est, exe-  
cutio fieri debeat, non otiosè forsàn à nonnullis quæritur?  
Idque ut negativè decidat Surdus *in decis. 121.* hisce duobus  
movetur fundamentis: 1. *Quia species ob temporis brevitatem non sit consumpta.* 2. *Quia Sanctissimo Sacramento tanta sit reverentia habenda, quanta maxima ab homine præstari possit; quibus subjicit, priori quidem videri satisfieri, si post usum Sacra Synaxis differatur executio per quinque, aut saltem per quatuor horas, cum tanto tempore fieri speciei consumptionem Medici testarentur; posteriori verò non aliter, quam si executio insequentem usque diem differatur.* Verùm hanc quæ-  
stionem, quæq; Surdi de ea sit sententiæ, his saltèm inse-  
ruisse sufficiat, illius verò litem hoc loco meam facere non  
lubet, præfertim cum hodiè vix unquam occurrat casus, ubi  
ejus usus elucescat. Nam, *secundum notoriam hodiernam consuetudinem,* reis ad suspendij vel aliam capitalem poe-  
nam condemnatis, pridie, quam ad supplicium trahantur,  
Sacram Cœnam porrigi, nemo ignorat, adeoq; hujus  
quæstionis perexiguus erit usus; præterquam in militi-  
bus, qui in castris degentes ob aliquod commissum, *secundum disciplinam militarem,* ad furcam damnantur. Ibi  
namq; uti hoc, quod jam dictum est, ita etiam plura alia,  
quæ



quæ tamen aliàs ad suspendij pœnam necessaria sunt requi-  
sita, perquam rarò, vel etjam nunquam observari cuilibet  
obvium est. Audimus & legimus enim, à militibus in furto  
deprehensis, *ad firmandam disciplinam militarem*, pœnam  
multò severiorem, quàm ex hodierna consuetudine *circa*  
*paganos fures* defendi possit, exigi solere. Ita quoq; Aufi-  
dius Cassius milites, qui provincialibus vim aut damnum  
inferrent, in crucem egit, *Ayala de Jur. & offic. bell. libr. 3.*  
*cap. 9. n. 1.* Et Tiberius ob pavonem, *Tranquill. Sueton in Tiber.*  
Piscennius Niger ob gallinaceum, & Carolus Burgund.  
Dux ob gallinam aniculæ subtractam furcâ necari iussit,  
*Hadr. Barl. histor. Brabant. libr. 2.* Id quod sanè de paganis fu-  
ribus statuere valdè crudele esset; quanquam nec in militi-  
bus hæc atrocitas omninò probanda sit. Attamen id ex eo  
quodammodò excusationem meretur, quod illi, quò ma-  
gis in militibus turpe hoc delictum visum fuit, eò majori  
curâ præcavere voluerint, ne in eos, quos defendere aliorum  
bona, non rapere decebat, frequentaret, *uti tradit Dn. Elias*  
*Schröder Fautor & Amicus meus honorandus, in sua disp. inau-*  
*gur. de Jur. bellic. tb. 8. lit. b. in pr. que reperitur apud Dn. Do-*  
*minic. Aruma. in discurs. Academic. de Jur. publ. 23.* Maximè  
cum severa disciplina militaris non solum ad vincendum  
hostem necessaria esse, sed etjam ad securitatem agrorum  
& agricolarum, *que, ob publicam utilitatem, semper inviolabilis*  
*esse debet, spectare videatur, uti constat ex illis, que habet Ca-*  
*mer. cent. 1. meditat. histor. c. 5. & cent. 2. c. 22.*

189. Illud v. citra trepidationem negandum esse puto,  
quod fur seu reus ad suspendiũ, vel alterius generis ultimũ  
supplicium, damnatus per puellam, aut meretricem, ipsum  
in matrimonium petentem Jure liberetur, *ut ut sint, qui hoc*  
*affirment.* Pœnas enim ob maleficia solvi, magna ratio sua-  
det, *inquit Cajus in l. 70. §. ult. ff. de fidejuss.* cum in eo publi-  
ca versetur utilitas *l. 9. §. 5. in fin. ff. de publ. & vectig. ne sci-*  
licet



licet delicta maneant impunita, *contra l. 51. §. 2. ff. ad leg. Aquil.* adeoq; ad maleficia temerè quisquam profiliat *l. 14. C. de pœn.* quod sanè futurum esset, si facinoroso ad mortem, condemnato ad nudam intercessionem hujusmodi mulierculæ, illum sibi in maritum dari petentis, à judice pœna, condonaretur; & sic, undè Iura nasci debent, indè nascitura esset delictorum occasio, *contra notorium text. l. 6. C. undè vè*  
Quis enim, quæso, illorum, qui furandi studio jam tum dediti omnis verecundiæ oblitii sunt, ullum unquam furtum intentatum esset relicturus, si ipsi spes residua esset, quod, quamvis in illo deprehenderetur, proptereaq; ad furcam, damnaretur, tamen hujus pœnæ remissionem impetrare, posset, si meretricem vel aliam puellam pro se intercedentem, *quam ipse ipsius de socij tunc facile subornare possent, vel quæ etiam spontè, hoc permissa, non rarò se oblatura esset, in matrimonium duceret; nec id pro ullâ aliquâ pœnâ sibi computaturus esset, uti quidem sentit Chassan in Consuet. Burgundia, dum vult, majus esse supplicium condemnato uxorem ducere meretricem, quam si ultimo supplicio afficeretur.* Id quod de hisce levibus infamibusq; personis sentire penè ridiculum est, cum illæ honestum nomen minimè curent, imò vix micam honestatis in toto corpore residuam habeant, ac proinde cum tali matrimonium contrahere sibi probrosum non ducant. Et hæc sententia eò magis probanda videtur, cum etiam videamus, quod leges judicem, qui delictum impunitate donat, vel sine magnâ & evidenti causâ molliorem, quam statuta est, pœnam profert, infamem pronuncient, ipsiq; eandem pœnam, quam aliis dissimulando remisit, dicitent, *l. 8. §. ult. C. ad l. Jul. de vi publ. vel priv. l. ult. in fin. C. ne sanct. baptism. iteret.* Quamvis enim iudicibus etiam inferioribus ordinarias delictorum pœnas mitigare & minuere liceat, id tamè non, nisi magna & justa ex causa hoc fiat, ipsis concessum est, *d. l. 8. §. ult. & d. l. ult. junctâ l. 3. C.*  
I  
ex quis



*ex quibus caus. infam. irrog. Geil. 2. Observ. 110. n. 41. & 2. de P. P. e. 9. n. 22. cum aliquot seqq. Mynsing. 2. Obs. 30. n. 3. & Obs. 54. Sicbard. ad d. l. 3. n. 10. in fin. cum trib. seqq. Moller. 1. Semestr. 37. n. 11.* Jam autem justa causa non est illa, quam Judex ipsemet ex proprij sui arbitrij æquitate sibi fingit, sed quæ legibus congruit: qualem nostro in proposito esse puellæ vel meretricis intercessionem non liquet; imò contrarium jam ostensum, quibus addi potest *l. 27. ibi: velamento matrimonij & c. C. ad l. Jul. de adult.* Accedit, quod, quamvis hæc dimittendi causa justa esset, *quod tamen non concedendum*, nihilò magis tamen nostro reo, *ut potè jam tum judicialiter condemnato*, Judex pœnam remittere adeoq; illum restituere possit, *l. 45. §. 1. l. 55. ff. de re judic. l. 1. §. ult. ff. de quest. l. 15. C. de pœn. Geil. d. libr. 2. de P. P. c. 9. n. 22.* cum id soli Principi concessum sit *l. 9. §. 11. l. 27. & l. 31. ff. de pœn.* Non enim, quod Imperatori aut alij Magistratui superiori, ut qui verè viva lex est in terris, permittitur, idem cuivis inferiori quoq; Judici concessum intelligendum est, *inquit Moller. d. l. n. 8.* Et hinc Illustrissimum Electorem Palatinũ, *in suâ ordinatione Anno 1582. publicatâ*, hoc casu remissionem pœnæ facere, Præfectis & Magistratibus suis, *utpote, qui antea de facto contrarium observabant*, interdixisse apparet ex ijs, quæ tradit Abraham Sawr *in suo fasciculo de pœn. vulgò Strassbuch, in fin. sub tit. Von ehlichen Fällen/so sich vor vnd nach der execution zutragen &c.* uti refert Còler. *part. 2. decis. 238. in fin.*

190. Pro justis verò causis, quæ scilicet judicem ad suspendij pœnæ mitigationem Jure movere possunt, huc referendę sunt illa, de quib<sup>9</sup> supra *in thes. 52. cum quatuor seqq. & 73.* actum est.

161. Qualis etiam est Nobilitas. Nam & Nobiles, ut & alias hujus generis honestiores vel privilegiatas personas, nisi forsàn aliquoties furtum reiteraverint, & sic huic exercitio se dederint, adeoq; hoc ipso suis honoribus & dignitatibus se indignos reddiderint, mitius, non hoc ignominiosissimo, & vilissimo &

*foedis-*



foedissimo suspendij supplicio afficiendos esse suadet l. 1. in fin. ff. de furib. balnear. l. 1. §. 3. ff. de abig. l. ult. ff. de incend. ruin. naufrag. l. 6. in pr. & in fin. pr. ff. ad l. Jul. pecul. l. 9. §. 11. l. 28. §. 2. ff. de poen. c. qui contra. 24. q. 1. Tiraquell. de nobil. c. 20. n. 108. & seqq. Geil. d. libr. de P. P. c. 9. n. 24. Quibus congruere videtur Constit. criminal. Carol. V. d. art. 159. ibi: oder sonst nach gelegenheit der Person / r̄. & art. seq. ibi: Mehr soll ermessen werden der Stande vnd das Wesen der Person / so gestolen hat / r̄. item d. Constit. Elect. Augusti 32. d. §. vnd sol in diesem fall. vers. Jedoch sol gleichwol / r̄. Verum, an hoc etiam hisce & vicinis in terris ita practicetur, adhuc ignoro; dubito tamen si perpendam id, quod ad hoc colligi potest ex Const. Elect. Aug. 42. part. 4. vers. Als wollen wir &c. ibi: Wer der auch were. & qua ibi tradit Moller. num. 8. & seqq. praesertim cum, quod Geil. 2. Obs. 110. in fin. de Judicio Divino dicit, *nimirum illud nullam personarum differentiam attendere, sed animam, quae peccaverit, ipsam morituram*, id etiam penè de administratione Juris & Justitiae hisce & vicinis in regionibus laudatissimè dici possit.

192. Justam quoque mitigationis causam esse insignis & excellentis alicujus artis peritiam, ita ut furi, qui sit excellentis artifex, *cujus opera & industria Principi & Reipublica utilis & commodo esse possit*, suspendij poena in mitiorem, *perpensis tamen circumstantijs*, optimo Jure mutari possit, suadet l. 31. ff. de poen. & comprobatur Geil. d. libr. 2. Observ. 110. num. 41. & 2. de P. P. n. 24. ubi ad hoc plurimum Dd. suffragia collegit.

193. Sed quid dicendum sit de eo, qui ad furcam condemnatus & suspensus rupto laqueo vivus in terram cadit, *an nimirum denuò secunda vice sit suspendendus, an verò mitiori poenâ afficiendus, vel planè absolvendus*, inter insignes quosdam Jurisprudentiæ nostræ Signiferos & Duces magni momenti conflictus ortus est? Et quamvis hic casus





rarò & insolenter contingat, cum illum, *secundum T. cutl. in d. disp. 30. tb. 3. lit. g.*, carnificis industria plerunq; præcave-  
re soleat, adeoq; de eo disputare vix ullum importare usum  
videatur; quin tamen casus, in quo hæc carnificis industria  
parum operetur, aliquando contingere possit, pro impossi-  
bili habendum esse nemo adferet, cum huj<sup>9</sup> exēpla (*quam-  
vis ego, & mecum unus vel alter hæc ignoremus*) qui sciunt for-  
san non desint, ut proindè, quid in hoc juris sit, inquirere,  
non modò non otiosum, sed extremè necessarium videatur  
cum *juxta supra in Procem. dicta Clari & Dn. Dom. Arumai disp.  
Pandect. 24. tbes. 4.* hîc non de glande legenda, non de oleo,  
vino aut tritico legato, sed de hominis vita & existimatione  
agatur, adeoq; eò cautius sit agendum, cum ibi, si erretur,  
jactura sit exigua; hîc verò major esse nequeat; quam ipsam  
etiam ob causam, si ullibi in jure nostro, certè hîc distincti-  
one opus erit. Distinctè itaq; sic procedendum esse exi-  
stimo: Aut de notoriâ suspensi malitiâ constat, adeoq; non  
sine causa maxima subesse potest suspicio, condemnatum &  
suspensum fraudulenter instanti poenæ ereptum esse, vel  
artibus & præstigiis Sathanæ, vel per corruptionem carni-  
ficis, *quod videlicet funiculo apparenter quidem firmo, re ipsâ  
verò infirmiore usus sit, vel per ejus culpam, quod nimirum ex  
imprudentiâ funiculum infirmiore, quam qui corpus appensum,  
ob ejus forsân gravitatem & crassitiem, sive pinguedinem, suf-  
ferre valeat, adhibuerit, & tunc omninò ipsum iterum su-  
spendendum esse puto, ita ut, si simplex laqueus onus su-  
spensum sustinere nequeat, ille juxta jussum Gubernatoris  
Vercellensis, quod post Cagnol. in l. favorabiliores. n. II. ff. de R. I.  
refert Reimb. Rosa in addit. ad Moller. d. Const. 32. n. 19.* duplicari  
debeat. Iudicum enim sententiâ suam fortiri debent ef-  
fectum arg. l. 14. C. de poen. l. 45. §. 1. ff. de re judic. Muscorn. in  
rr. de Jurisdic. n. 93. ad quod faciunt ea, quæ supra ad confir-  
mationem tbes. 189. adducta sunt. Præsertim cum, *juxta*

Con-



*Constit. criminal. Car. V. art. 162. Constit. Elector. Aug. 39. ibi:*  
so sol er gleich den andern Dieben &c. *Constit. 41. §. würde dann.*  
& §. Waun auch / *tenorem sententiarum capitalium, pra-*  
*misis prae mittendis, haec habere nemini sit ineognitum:*  
Demnach erkennen vnd sprechen Wir &c. darayff vor Recht/  
daß N. mit dem Strang vom Leben zum Tode zu richten sey/  
D. N. W. cui certè non aliter satisfacit, quam si mors subse-  
quatur *arg. l. 7. in fin. ff. de Iur patronat. Accedit, quod, secun-*  
*cundū verba Pauli de Castro in l. 3. C. de Episc. audiēt. ex Seneca de-*  
*sumpta, sanctissimum sit officium, si fiat iustitia de crimino-*  
*sis: nec ulla pinguior victima Deo mactari possit, quam ho-*  
*mo sceleratus; quod ipsum iisdem penè verbis habetur in,*  
*c. quali nos, in fin. 23 q. 5. dum ibi dicitur: nullum gratius posse*  
*sacrificium Deo offerri, quam si hi, qui in suam & aliorum per-*  
*niciem debachantur, competenti rigore compefcantur.* Vndè  
si talis rupto laqueo vivus in terram decidat, id non cuidam  
Divino miraculo, sed potius suprà dictis causis adscriben-  
dum est, *uti rectè dicit Niell. disp. feud. n. 1b. 2. lit. d.* ac proindè  
quod ius & iustitia jubet exequendum. Idq; adeò, ut res  
us, quamvis ad officium carnificis se offerat, ne utiquam ta-  
men sit audiendus, ne aliàs plures sint carnifices, quam rei,  
*uti scitè loquitur Arnold. de Reyger in thesaur. Iur. verb. pœnis. n.*  
*iii. & Iohan. Papolibr. 3. novar. c. 10. quem refert Gothofred.*  
*in not. ad l. 31. ff. de pœn. lit. p. ubi quoq; ait: illum referre, con-*  
*trarium usu receptum esse in Italia, Germania & Gallia; an ita*  
sit, ignoro. Aut de notoriâ suspèsi malitiâ atq; nocentiâ nō  
omnimodò cōstat, sed quodāmodo dubitatur, cū ex nō pau-  
cis circūstantiis appareat, illū non artib<sup>9</sup> & præstigiis Satha-  
næ, non per corruptionem carnificis, non per ejus culpam  
aut ex debilitate funiculi, adeoq; non excā & impiâ fortu-  
nâ, *que vix vero favet, pejus merenti melior, & pejor bono, quod*  
*de fama dicit Senec. in Hippolyto v. 268.*, sed inevitabili & ju-  
sto divini numinis arbitrio ab instante pœnâ liberatum,



esse, & tunc ipsum non denuò suspendendum, sed, *pro qualitate personæ & circumstantiarum*, vel mitius puniendum, vel planè absolvendum esse, mihi æquius, tutius & verius videtur. Ad hoc tamen fundamentum non sumo ex eò, quod *in Psalm. 124. v. 7.* his verbis habetur: *laqueus contritus est, & nos liberati sumus*; nam quomodo illud sit exaudiendum ex toto ipso contextu satis elucet, sed moveor ratione, *quæ desumitur ex l. 56. l. 108. & l. 192. ff. de R. J.* quia videlicet in re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius, *uti Jctus Marcell. ibid. loquitur*; idq; maximè in pœnalibus causis *l. 32. ff. de pœn. l. 155. §. ult. ff. de R. J.* cum satius sit nocentem absolvere, quam innocentem condemnare *l. 5. in pr. ff. de pœn.* & faciliores nos esse debeamus ad liberandum, quam ad obligandum *l. 47. ff. de O. & A.* Jam autem nos hoc in casu, *prout ille jam formatus est*, versari in dubio, negari nequit. Ergò benignior interpretatio sequenda erit. *Hæc, & plura, quæ hanc sententiam confirmant, latius persequitur Clariss. Dn. Dom. Arumæ. d. disp. Pandect. 24. tb. 7.* His tamen necesariò subjungendum puto, mihi hanc sententiam ita solùm, *prout Dom. Arum. d. loc.* illam concipit, & hîc etjam formata est, probabilem videri; nam sic illam verissimam esse opinor. Illam verò, *prout ab alijs, qui huic adstant, concipitur, quæq; ipsi in hujus tractatione immiscent, defendere non auderem*; nec illam aliter probare videtur *Clariss. Dn. Foman. disput. 26. thes. 7. in fin.*

194. An autem hæc suspendij pœna Jure defendi possit, nunc inquirendum est? Sanè illam gravem & abominandam, genusq; mortis, quæ indè sequitur, *prout in c. sceleratior. 33. q. 3. de pœnitenti. distinct. 3. appellatur*, verè informe esse, certum est: ita ut *Plin. lib. 2. cap. 25.* pœnam hanc non immeritò præposteram nuncupet, cum includatur spiritus, cui deberet quæri exitus, *uti ibid. loquitur*; quod autem  
ini-



iniqua sit, dicendum non erit. Quamvis enim olim in  
Vet. Test. in Republ. Hebræorum, florente ipsorum Re-  
gno, *secundum legem Mosaicam, per Supremum Legislatorem i-*  
*psis promulgatam*, fures non capitali, sed tantum dupli, qua-  
drupli aut quintupli pœnâ afficiebantur, vel, si pauperes e-  
rant, *ut nec simplum quidem, multo minus duplum, quadru-*  
*plum, aut quintuplum reddere possent*, servituti addicebantur,  
*Exod. 22. in pr.* verissimum tamen est, nos legibus Mosaicis  
forensibus non esse alligatos, etjam ex ipsius harum Auto-  
ris voluntate & decreto, qui ostendere volens, illas non  
absolutâ, sed tantum periodicâ, determinatâ & certo fine  
ac tempore circumscriptâ æternitate, quamdiu nimirum  
Regnum Israëliticum floreret, & CHRISTUS in carnem  
nondum venisset, durare & observari debere, sæpius in  
earum promulgatione repetit & inculcat: hæc observabis  
tis in generationibus vestris, *Genes. 17. vers. 7. Levit. 3. vers.*  
*17. & 6. vers. 18.* huc quoque facit *cap. 49. vers. 10. Genes.* item  
promissio novi pacti, quam *Jerem. 31. vers. 31.* Altissimus  
Domui Israël fecit, juncto Hebræor. *8. vers. ult.* & ea, quæ  
habent Celeberrimi Theologi Andr. Osiand. *in Gl. ad d. cap.*  
*22. Exod. lit. a.* & Dn. Doct. Meisner. *Præceptor honorand. in*  
*dissert. de legib. libr. 4. Sect. 1. quest. 13. pag. 319. circa fin. & seq.*  
*in pr. item quest. 19. pag. 349. circa fin. pag. 350. & seq. in pr.*  
Cum itaque illis non simus alligati, & ordinarius atque le-  
gitimus noster Magistratus à DEO sit constitutus, ipsique  
potestas condendi & sancienti salutarcs leges sit concessa,  
nec frustra gladium gerat, *ut Apost. Paul. ad Rom. 13. loquitur,*  
sed propterea, ut omnibus modis eò enitatur, quò salus  
communis magis magisque propagetur, paxq; & tranquil-  
litas publica sarta tecta conservetur, utique ab illis recede-  
re, eorumque in locum alias, si ad commodum Reipu-  
blicæ promovendum id necessarium esse animadvertat,  
& quidem tales, quæ honestati vel Juri Divino non  
repu-





repugnant, optimo jure substituere potest; idq; cum facit, illæ non pro iniquis sunt habendæ, ne aliàs Ipsum, *ut, otè* *cujus persona semper sancta nobis videri debet*, tanquam Dei ministrum, hòc ipsò floccipendamus, adeoq; Divinæ ordinationi resistentes conscientiam nostram, *juxta D. Pauli d. loc. effatum atq; presagium*, lethaliter faciemus. Iam autem hodierna lex, quæ furibus capitalem, *suspendij nimirum*, pœnam dictat, honestati vel juri Divino non modò non repugnat, *cujus contrarium nunquam probatum, nec unquam probabitur*, sed etiam ad communem hodiernæ Reipubl. quietem atq; tranquillitatem conservandam extremè necessaria est. Nam, quod leviori quadam animadversione hæc delicta, hisce novissimis ac deterrimis temporibus, coërce-ri non possint, furtorum frequentiam testari, negari non potest, *uti etiam sentit Reverend. Dn. Præcept. Meisner. d. lib. 4. sect. 1. quest. 5. p. 265.* Quis enim, quæso, unquam de platea ad plateam, de domo ad domum absq; spoliatione migraturus esset, quis noctu securus somnum capturus esset, si hæc non adhiberetur pœna? Sanè, non paucos in hæc postremæ mundi ætatis barbarie tam efferæ & desperatæ esse malitiæ, toto die experimur, ut ne hæc quidem, *quæ tamen acerrima est*, à suâ malitiâ deterreantur, quid bone Deus furturum fore existimandum est, si ejus locum quædam mitior occuparet. Cur itaq; illam cum furum defensoribus, secundum Cynicam sapientiam, *quam in publica lectione à Dn. Philip. Melantbone ita nominare se aliquando audivisse dicit Moller. 1. Semestr. 27. n. 6.*, pro iniquâ iniquè exclamare vellemus; maximè cum ab hæc non usq; adeò, *uti quibusdam persuasum est*, ipsum jus Divinum abhorreat, ut non, *pro diversitate circumstantiarum*, etiam in ipsa Hebræorum Republica secundum politiam Mosaicam fur capitaliter puniri potuerit, *uti colligitur ex d. c. 22. Exod. vers. 2.* Hinc Regius Propheta David furi capitalem dictat sententiam, *2. Samuel. 12. vers.*



12. vers. 5. ubi Andr. Osland. in Gl. Et Salomonis jam tunc  
tempore furtorum frequentiam indies crevisse, eorumque  
consuetam aliàs coërcitionem per Mosen constitutam levi-  
orem fuisse, quam ut illà homines, ob crescentem tunc tem-  
poris malitiã, ab his deterreri potuerint, ac propterea eam  
in septupli restitutionem cum omnium bonorum confisca-  
tione versam esse constat *ex Prov. c. 6. v. 31.* Quod certè non  
exile pro hujus thes. sententiã fundamentũ præbet. Si enim  
illis, qui tamen sub Politia Mosaica vivebant, ipsiusq; legi-  
bus forensibus sive judicialibus vincti tenebantur, pro qua-  
litate & gravitate circumstantiarum, proq; Reipubl. usu,  
consuetam & à Mose constitutam furti pœnam mutare &  
aggravare licuit, cur quæso nostris Magistratibus, qui dictis  
legibus adstricti non sunt, temporum aliarumq; circum-  
stantiarum varietate, & Reipubl. usu id postulante, ab illà  
recedendi inq; graviolem mutandi potestas adempta esset?  
cum tamen crescente hominum malitiã pœnas etjam exa-  
sperari omninò conveniat *l. 16. §. ult. ff. de pœn.* ut hâc ratio-  
ne, quos consueta & levior pœna à delictis non revocat, sal-  
tèm coërceat disciplinæ severitas, adeoq; per hanc, *exemplo*  
*in uno statuto*, alij eò magis deterreantur *l. 1. in pr. C. ad l. Jul.*  
*reperundar.* Inficias quidem non eo, posse Magistratum in-  
terdum, si Reipubl. commodum id permetteret, quodam-  
modò legem Mosaicam in hoc sequi, & fures, *quod quibus-*  
*dam in locis ita observari audio*, ad opus publicum, vel trire-  
mes, ut ibi compedibus constricti perpetuò laborent, dam-  
nare; idq; ipsi non modò liberum, sed etjam maximo cum  
applausu bonæ conscientie conjunctum esse, rectè dicit Ha-  
fenreff. *in loc. theolog. lib. 3. loc. 4. p. 424.* quod autem ad id  
indifferenter necessariò teneatur, hoc constanter negandũ  
esse puto, nam illud nec ipse Hafenreff. probat, nec ullus a-  
liquis probabit, cum, *uti D. Augustinus loquitur*, nostrum  
non sit leges condere, sed conditis parere, nec de legibus,

K

sed





sed secundum leges judicandum sit. Præsertim cum hæc  
summa pœnæ cum ipso delicto concurrat proportio, si non  
ad rem ablatam, sed, *quod omninò faciendum est*, ad ipsius de-  
licti qualitatem respiciamus; quæ in eò consistit, quæ & quo-  
modo Respubl. & salus communis per furtum læsa reperia-  
tur, nam ad hujus conservationem omnes leges sunt refe-  
rendæ, *juxta illud Cicer. Salus populi suprema lex esto*. Jam aus-  
tem certò certius est, per furta non minùs societatem hu-  
manam violari, & Reipublicæ tranquillitatem turbari,  
quam per homicidia & adulteria, *uti refert & eleganter per-  
sequitur Wesenb. in par. ad t. ff. de furt. circa fin.* Considerent  
itaq; Judices, qui hæc in re plus nimis sunt scrupulosi, & su-  
perstitiosè hanc præconceptam animo fovent opinionem,  
quod fures præter meritum huic tam severæ pœnæ subji-  
ciantur, illud Baldi, quo dicitur: conscientiam legis vince-  
re conscientiam hominis, id est, illos minùs conscientiam  
lædere, qui juri dicundo præfecti, secundum præscripta le-  
gum, causas siue criminales, siue civiles definiunt, quam qui  
ex affectata quadam & intempestiva clementia vel commi-  
seratione mitiores legibus ipsis videri volunt, *uti hoc expli-  
cat Moller. d. loc. n. 7.* Summa enim & valdè perniciofa indè  
in Republica oritura esset confusio, imò frustrà leges scri-  
berentur si Judicibus ab illis recedere & suo arbitrio æqui-  
tatem fingere liceret, *uti cum Philip. Melantb. loquitur idem  
Moller. d. loc.*

195. Postquam verò fur ad mortem est condemnatus,  
quid cum re, quam abstulit, si hæc apud ipsum inveniatur,  
sit agendum, *utrum videlicet Judex vel Magistratus illam sibi  
vel fisco adjudicare possit, an verò veris dominis restituenda sit,*  
in disceptationis aleam vocare lubet? Et his omninò resti-  
tuendam esse opinor *arg. l. 20. §. 1. ff. de captiv. & postlim. revers.*  
*l. 22. in pr. ibi: ibi esse pœnam ubi & noxia est. C. de pœn. vulgat.*  
*l. id*



*l. id quod nostrum. ii. l. Jure natura. 206. ff. de R. J. c. locupletari. ibid. in 6. §. fin. ibi: sive alius quilibet. Inst. de oblig. qua ex del. nasc. junctis illis, qua supra in thes. 141. dicta sunt, Const. criminal. Carol. V. art. 207. in pr. & §. So dann der Kläger beweist. Idq; adeo verum puto, ut quamvis statutum civitatis vel lex municipalis, sive consuetudo loci, in quo fur cum rebus furtivis deprehenditur, aut supplicium subit, contrarium suadeat, illa nihilominus pristino domino hanc reposcenti sit restituenda, juxta Constit. crimin. Car. V. d. art. 207. in verbis: vngeachtet / ob es gleich an etlichen Orten anders gehalten / das nicht eine Gewonheit / sondern ein Mißbrauch ist. & Recess. Imperij Augustan. An. 1559. vers. vnd nach dem / 22. ejus verba refert Reinh. Rosa in addit. ad Moller. part. 4. Const. 33. in fin. junct. l. 5. C. de legib. c. qua contra Jus. de R. J. in 6. & c. ult. extr. de consuet. Venerad. Dn. Virgil. Pingizer. quaest. Saxon. 19. n. 8. & seqq. De Jure Saxon. hoc in casu sancitum reperimus, quod Judex talem rem furtivam adservare teneatur, eum in finem, ut illam vero domino, qui intra annum & diem hanc reposcit, restituat, si vero intra hoc tempus non accedat, illam in proprium usum vertat, art. 31. lib. 2. Landtrecht. cujus verba hic subjicere placet, quæ hæc sunt: Dieberey oder Raub / die man vnter einem Manne findet / der zum Tode gerichtet wird / die sol der Richter halten Jahr vnd Tag: ob sich dabinnen niemandt darzu zeucht / so fere es der Richter in seinen Nutz / sonst soll ers geben dems zugehöret. Schneid. ad §. ult. n. pen. in fin. Inst. de oblig. qua ex del. nasc. Idem sancivit Elect. August. part. 4. Const. 33. in fin. ubi Moller.*

196. Cæterum an suspensorum cadavera in patibulo sint relinquenda, an verò ante solis occasum deponi, terræque mandari debeant, hæc in materia quæstio non inanis est? Et quamvis fatendum sit, durum esse, quod puni-





torum corpora ita insepulta & volatilibus sub aperto cœlo  
 dilanianda relinquuntur: cum tamen constitutum sit, ut il-  
 la non prius sepeliantur, quam si furis cognati vel alij à  
 Principe vel Judice id petierint & impetraverint, *l. 1. & ult.*  
*ff. de cadaver. punit.* idq; jam à multis annis sit observatum,  
 ab eo non temerè recedendum erit, *l. 2. ff. de const. princip.*  
 Præsertim cum hoc non sine summâ ratione constitutum  
 sit: quò nimirum alijs, qui simile delictum animo concipe-  
 re & designare auderent, hoc sit exemplo, illicq; hujus tam  
 tristis & horrendi supplicij spectaculo, à furtis alijsq; deli-  
 ctis deterreantur *l. 28. §. ult. ff. de pœn. Heig. part. 2. quest. 37.*  
*num. 24. & seqq. & Clariss. Dn. Eberh. Speckban. cent. 1. quest. 9.*  
 Proindè illos, qui incio Magistratu suspensorum vel da-  
 mnatorũ cadavera de patibulo seu judicio tollunt, arbitra-  
 riè puniri posse, sentit Heig. *d. loc. n. 31.* post Bart. & Nicol.  
 Bellon. *quorum loc. ibid. demonstrat.* Secundum Sanctionem  
 Elector. Augusti, hi, si ipsorum propinqui sint, tantùm car-  
 cere vel pecuniâ mulctandi sunt, si verò extranei, præfer-  
 tim quando ad magicos usus vel alio malo animo id faciant,  
 imò quamvis non totum corpus auferant, sed tantùm par-  
 tem vel articulum, *digitum forsàn*, ad usum furti vel incan-  
 tationis abscindant, gravius, *nimirum, pro conditione persona,*  
*vel fustigatione, vel relegatione temporali, vel aliter, pro arbitrio*  
*judicantis,* puniendi sunt, *part. 4. Const. 34. ibi: die jenigen/so*  
*die Todten Körper vom Galgen oder Gericht weg nemen / etc.*  
*ubi Moller. n. 2. & quem ibi allegat, Wesenb. in par. ad t. de ca-*  
*darer. punit. in fin.*

197. Si autem contingat, ut fur, vel alterius criminis  
 reus, in publicis vinculis ante diem judicij moriatur, pœ-  
 nam, quæ ipsi vivo debebatur, ipsius corpori vel cadaveri  
 infligendam non esse probat *l. 6. ff. de publ. judic. l. ult. ff. ad*  
*l. Jul. majest. l. 2. C. si reus vel accusat. mor. fuer. nisi delicti a-*  
*nocitas & exempli magnitudo aliud suadeat, d. l. ult. ff. ad l.*  
*Jul.*



*Jul. majest.* Cum autem, ob qualitatem & diversitatem circumstantiarū, certò & speciatiim exprimi vix possit, quodnam delictum pro tam atroci, ut ejus reus etjam post mortem debitæ aliàs pœnæ subjugari possit, habendum si, id boni & circumspecti judicis arbitrio relinquendum esse *l. 1. §. 1. ff. de effractor.* præsertim cum hodiè Judices de criminibus non nisi extraordinariè cognoscāt, *l. 13. ff. de pœn. censent Dn. Eberh. Speckhan. d. cent. 1. quest. 85. n. 18. & Heig. d. q. 37. n. 36.* ubi addit, judices, si majus ea res arbitrium postulet, quam ut minor Judex ei sufficiat, consultius facere, si Principis voluntatem exquirant. Hic tamen loquor de eo casu, quò suspendij vel alià pœnà dignus naturâ ipsâ, nullâ vi adhibitâ, ante debitæ pœnæ executionem ex hac vitâ decessit. Si enim ipsemet veneno sibi dato se interfecisset, vel ejus propinqui hòc ipsum necari curassent, *quod Nobiles suis sanguine conjunctis, quò pœnam ignominiosam & turpem eis in fore & publicè inferendam evitent, nonnunquam facere solere dicit Dn. Speckhan. d. q. 85. n. 6.* quin tunc, *ne videlicet hæc fraus ipsi prosit, utq; ceteri ab hujusmodi delictis deterreantur,* etjam post talem mortem ejus cadaver suspendij, vel alià, *quæ vivo debebatur,* pœnâ affici possit, non ambigendum esse opinor *arg. l. 5. C. si reus vel accusat. mort. fuer. junctis illis, quæ ex Senec. de Clement. libr. 1. cap. 22. refert & colligit Heig. d. loc. n. 26. & seqq. Muscorn. d. tr. de jurisdic. n. 47. Dn. Eberhard. Speckhan. d. quest. n. 7. Hinc Menoch d. arbitr. judic. quest. libr. 2. cent 3. cas. 285. n. 7. referente Heig. d. loc. n. 33.* ait, posse judicem justis de causis ex suo arbitrio jubere, reos vitâ functos vel laqueo suspendi, vel alijs ignominijs affici, ad coërendam videlicet audaciam eorum, qui pluris faciunt ignominiam, & dedecus publicum, quam vitæ præsentis usuram diuturniorem. Verum quando suspicio emergit, suspendendum vel alio ultimo supplicio afficiendum vitam ad executionis diem aliàs destinatum vix producturum, tunc, ne  
juris:



Juris & Justitiæ cursus per mortem impediatur, quando exemplo ac terrore opus est, Judicem executionem accelerare solere interdum cernimus; quod etjam hujus loci Magistratus oppidanus, cum reo horrendi istius facinoris, quod non ita pridem in hoc oppido perpetrabatur, observabat, prout cuivis tunc temporis hîc degenti notum est.

198. Porrò cum non rarò, *in Academijs præsertim*, suspensorum aliorumve punitorum cadavera à Medicis anatomicis sectionibus subjicere videamus, utilis indè & jucunda emergit quæstio: Utrum à Principe vel Magistratu, *cujus licentiam atq; auctoritatem in hoc necessariam esse constat*, licitè id ipsis conceatur? Et cum Medicinæ subjectum sit corpus humanum, *ut testatur Celeberrim. Medicus Dn. Doct. Daniel Sennert, eximium hujus Academiae celeberrima ornamentum, & p. t. Rector Magnificus, Præcept. honorand. in suis Institut. medic. libr. 1. cap. 1. post med. vers. Ars itaq; & c. & vers. Subjectum tandem & c.* ejusq; non saltem superficialia, sed accurata cognitio à Medico, qui non veterinariam & Mulomedicinam, *uti Magnific. Dn. Sennert. in d. vers. loquitur*, sed eam, quæ in animalis omnium præstantissimi ac nobilissimi hominis sanitate præsentè conservanda & amissa restituenda occupatur, profiteri satagit, requiratur, *teste eodem Magnif. Dn. Sennerto d. loc. circa fin. in vers. Has ob causas.* hanc autem sine anatomicis dissectionibus & lacerorum corporum oculo inspectione comparari non posse sit extra omne dubium, *Emanuel Soarez. in addit. ad Ant. Gomez, resolut. tom. 3. c. 14. n. 9. sub lit. c. cujus de hoc verba hûc referenda refert & approbat Reinhard. Rosa in addit. ad Moller. part. 4. Constit. 34. n. 4. post Dn. Eberh. Speckhan. d. cent. 1. quest. 8. n. 4.* omninò optimo Jure hoc ipsis concedi puto. Quod enim communiter omnibus prodest, hoc privatæ utilitati præferendum esse censemus, *inquit Imper. noster in l. un. §. 14. C. de caduc. tollend.*



*sollend.* Jam autem hoc in casu publicam intercedere utilitatem, ut nimirum Medici hoc ipso in conservandis & curandis vivorum corporibus peritiores existant, nemo, nisi propriam suam salutem atque incolumitatem exosam habeat, negabit. Quotusquisq; enim nostrum est, qui in morbum prolapsus non lubentius experto cuidam Medico, quam illi non admodum firmi cerebri aut mentis sanæ Sacrifico, qui cineres buxi deusta adolescentulo cuidam ad dispellendam febrim, & exigendos vermes, infelici planè successu, ebibendos propinabat, vel talibus Medicis, quorum ars medendi paucis tantum regulis continetur, uti refert Camerar. Cent. 3. meditat. historic. c. 51. corpus suum curandum committat. Idq; non immerito. Nam, cum corpus humanum sit creatura omnium terrestrium nobilissima, quam Ipse etiam DEUS TER OPT. MAX. adeò charam habuit, ut illam proprii & unigeniti sui Filij pretiosissimo sanguine ab infernalibus cruciatibus liberare non fuerit dedignatus, illud nemo tali, qui ejus accuratam non habet cognitionem, curandum temerè committere debet, ne aliàs ipsemet hujus trucidator, adeoq; contra Decalogi præceptum, NE OCCIDES, delinquere videatur. Non enim, uti ex Galeno refert Magnif. Dr. Sennert. d. loc. lateres, lutum, ligna, lapides, tegulæ, coria, artis medicæ, sicut aliarum, sunt materia, in quibus multis modis, citra cujusquam offensam, licet, quid possis, experiri; in corpore autem humano ea tentare, quæ non sunt experientiâ comprobata, periculo non vacat; cum temerariæ experientiæ finis sit totius animantis internecio. Cur itaque his illud, sine quo accuratam corporis cognitionem, adeoq; illud in morbum prolapsum sine maximo periculo curandi artem habere nequeunt, non concedendum esse statuere vellem? contra mentem l. 11. §. 1. ff. commun. prad. l. 2. in pr. ff. si quis aliqu. testar. prohib. l. 4. in pr. ubi Gl. ad verb. quo minus. & Gotthof. in not. lit. h. ff. de itiner. act. uq; priv. Proindè, cum, uti hæc tenet dictum,

hæc



hæ anatomicae dissectiones in communem omnium, adeoq;  
venerandæ Reipubl. utilitatē vergant, si Princeps vel Magi-  
stratus in punitorum cadaveribus has concedat, ille neutis  
quam propterea redarguendus vel culpandus est *l. 33. ff. de  
injur.* Maximè, cum illæ non parum conducant ad demon-  
strandam & notificandam Divinam Omnipotentiam, &  
consequenter erga Illam majorem in nobis excitandam de-  
votionem. Qui enim hominem rectè & benè noverit,  
Deum ipsum tanquam ejus causam efficientem noverit,  
*inquit celebris ille Medicus Casp. Bauhin. in Epistol. dedicat. sui  
theatri anatom. pag. 2.* ubi etiam refert, virum quendam ma-  
gni nominis eleganter prodidisse, quod, ut in numismate  
*charagma Cesaris, sic in homine Dei sculptura conspiciatur.* Dum  
itaq; theatris anatomicis, quando subjectum quoddam se-  
ctioni subjicitur, intersumus, & mirifica illa omnium cor-  
poris humani partium atq; articulorum structura, admi-  
randa dispositio, & artificiosissima compages oculari no-  
stræ inspectioni *stupendâ penè cum admiratione* proponitur,  
coram omnibus presentibus supremi Opificis Omnipoten-  
tia notificatur & illustrior redditur: ac proinde, recor-  
dantes, hæc omnia non absimili modo etiam in nostris cor-  
poribus disposita esse, Divinam Ejus Clementiam, *nisi planè  
impj simus, & debitas laudes Ei invidemus,* pro horum o-  
mnium creatione atque conservatione ardenti gratiarum  
actione celebramus; imò, *cum ejusmodi opera non laudibus  
modò, verùm etiam hymnis sint majora,* Ejus Sapientiam atq;  
Potentiam ne laudare quidem satis pro merito nos posse,  
fateri cogimur. His accedit, quod hæ sectiones vel propter  
eà etiam concedi debeant, cum maximus ejus usus in eo  
quoq; conspiciatur, quod horum corporum *σκελετοι, quæ post  
expeditam sectionem reservari solent,* quemlibet ea adspicien-  
tem, *quod vix ullus negabit,* mirificè commoveant ad suam  
omniumq; miseriam & fragilitatem considerandam. Quod  
etiam



etiam animadvertens Rex quidam, *de quo hinc inde legitur*,  
ex cranio hominis inaurato poculum sibi confici curavit,  
ex eoq; quotidie bibit, ut ita miseram humanam conditio-  
nem semper in recenti memoria haberet. Verum ut ut sit,  
Judex tamen non temere illas permittere debet, sed illius,  
cujus corpus ad Anatomiam petitur, familiae conditionem  
atq; dignitatem prudenter considerare debet, ita ut, secun-  
dum hujus qualitatem, ejus anatomicam sectionem vel con-  
cedat, vel non concedat, *juxta mentem Menochij de arbitr. Ju-  
dic. quest. libr. 2. cent. 3. cas. 285. in fin. Moller. in Comment. ad  
Const. Elector. part. 4. Const. 34. circa fin. ibiq; Reinh. Rase in  
addit. & Dn. Eberb. Speckb. d. cent. 1. quest. 8.*

199. Et hanc sententiam in tantum procedere existimo,  
ut etiam a Medicis, quibus tale corpus ad Anatomiam est  
traditum, licite ejus pinguedo reservari possit. Idq; hoc  
fundamento: quia ubi eadem Juris militat ratio, ibi ean-  
dem quoq; militare Juris dispositionem convenit, *arg. l. 32.  
vers. sed magis visum est. ff. ad l. Aquil.* Jam autem eadem in  
hoc, quae in praecedenti, *nimirum anatomica dicti corporis dis-  
sectione*, militat juris ratio: quae est favor Reipublicae. Con-  
stat enim inter Medicos, hominis pinguedinem maxima  
in Medicina ad hominum salutem praebere usum. Ergo ea-  
dem quoq; in praesenti, quae in praecedenti, militare debet  
juris dispositio: ac proinde Medici, uti dicta corpora publi-  
cae utilitatis causa licite secare, ita quoq; eorum pinguedi-  
nem, pro salute aliorum, adeoq; in favorem Reipublicae li-  
cite sibi reservare possunt. *Dn. Eberb. Speckban. d. cent. 1. quest.  
9. num. ult.*

200. Quod autem concedendum sit, ut Medici, quem-  
admodum puniti & ultimo supplicio affecti, ita quoq; pu-  
niendi & hoc supplicio afficiendi, *adeoq; adhuc spirantis cor-  
pus suis sectionibus subjiciant*, eaq; quae natura clausit, spi-  
ritu remanente scrutentur vel considerent, id plane im-

L

pium



pium imò diabolicum esse censeo. Tametsi enim & hîc quodammodò favor & utilitas publica militare videatur: cum tamen Christianis religio esse debeat, committere malum, ut indè resultet & emergat bonum, *ad Rom. 3. v. 8.* id hætenus semper averfati sunt; nec immeritò. Carnifici namque, utpotè hæc in re satis perito, pœnæ executio relinquenda, non Medico concedenda est; quippè, cum hujus ars non ad perniciem & interitum, sed ad salutem hominis pertineat, *uti vult Ulpian. in l. 1. §. 1. ff. de extraord. cognit.* Maximè, cum hac crudeli & inhumanâ corporis adhuc spirantis laceratione Medicus quidem consequatur, ut hominem instar carnificis crudeliter jugulet, vix verò, ut sciat, qualia vivi viscera habeamus, *uti id latius & eleganter persequitur Dn. Eberh. Speckban. d. Cent. 1. q. 7.*

201. Nunc etjam, *uti mihi initio proposueram*, de singulis specialibus furti specierum actionibus & pœnis aliquid in specie agendum esset, quas species, *prout ille in Pandectis post generalem tit. de furt. reperiuntur, & supra ex parte attacke sunt*, recenset & explicat Vultej. *in J. R. libr. 2. c. 19. post. n. 33.* quibus ex Novell. Elect. Augusti *part. 4.* addi possent illæ, quibus vel cadavera suspensorum, aut rotis impositorum, *so auff das Radt geleet / vestibibus spoliantur, Const. 34.* vel aratra in agro reperta, aut quædam ad illa pertinentia, abducuntur, *Const. 35.* vel apes aut favi ab his facti auferuntur *Const. 36.* Hi loci, quid in his speciebus, circa earum actiones & pœnas, singula diversa Jura sentiant atque definiant, altius inquirendi materiam & occasionem abundè mihi suppeditarent; verum cum animadvertam, præsentem hanc disputationem præter opinionem excrevisse, ne ejus incrementum ultra consuetum modum se extendat, necessariò huic jam fastigium imponendum esse censeo.

202. Ans



202. Antequam tamen id faciam, de erectione furcarum, *quæ banc ad materiam spectare videtur*, his annectere lubet, in quantum illa à finibus vicinæ Jurisdictionis distare debeat; id quod nos docent verba germanica, quæ apud Schneidevvin, *in Epitom. feud. part. 2. n. 75.* hunc in modum reperiuntur: daß man einen Galgen so nahe an die Grenze setzen mag / daß er das frembde Gericht mit dem Schatten nicht berühre / vnd daß auch das Volck auff demselbigen Gerichte / so man einen Rechfertiget / vnd nicht auff dem frembden Gerichte / so darneben gelegen / stehen mag. Idque ita in praxi & pronunciando observari, testatur Reinhard. *part. 5. Different. 10.* cū assensum præbere videtur Cöler. *part. 1. decis. 144. n. 31.* Et hæ in locis publicis erigi debent: si verò locus privatus ad hoc est opportunus & necessarius, potest illius dominus cogi, ut illum ad hoc vendat. *Bonif. in d. tract. de furt. §. 1. n. 15. ubi plura. Dd. vota ad hoc collegit.*

203. Et tantum de hac materiâ exercitij gratia pro ingenij tenuitate dissertasse sufficiat; in quo, si quid illius, quod omnibus hominibus commune est, passus fuerim, erudiri ac meliora doceri desidero. Non enim pigebit me, *uti verba Augustini 1. de Trinitat. 11. habent*, sicubi hæsitaverim quærere: nec pudebit, sicubi erraverim discere.

Nunc ejus telam suffragante Summo nostro

Imperatore finio; cui soli sit

LAUS ET GLORIA

in infinita secula.



L 2

AUCTA



# AUCTARIA.

## I.

**N**Um is, qui mandavit Titio, ut Sejum mediocriter percuteret, nec tamen occideret, *puta, ut ipsi tantum unam vel alteram alapam infligeret, vel ipsum aliàs levi baculo verberaret,* daß er ihm von seiner wegen sol nur ein paar Mauschellen zustellen/oder soll ihn, sonst ein wenig abschmieren/ordinaria l. Cornel, pœnâ sit afficiendus, si Titius fines mandati excedens Sejum interfecit? Neg.

II. An cruor ex vulnere, ore, aut naribus occisi, accedente vel adducto aliquo de homicidio suspecto, profluens, hunc ejus mortis reum esse, sufficiens præbeat indicium, ita, ut ob hoc solum, ad ulteriorem veritatis indaginem, cum ipso ad torturam procedi possit, utpotè, cum, *quod magis est,* etjam occisi arefactam manum interdum post multos annos, præsentem homicidâ, sanguinem emisisse, constet? Neg.

III. An Sagarum per aquam frigidam *quibusdam in l. cis recepta* exploratio Juri sit consentanea, ita, ut tales mulieres, quæ de veneficio sunt suspectæ, si conligatis artubus in aquam dimissæ ejus superficiem innatent, nec submergantur, sint tanquam veneficæ condemnandæ, si verò submergantur sint absolvendæ? Neg.

IV. An verisimile sit, *quod vulgò anilibus fabulis circumferri solet,* lamias scopis vel baculis insidentes per caminum aut aliud angustum foramen per aërem volitare, & *tali modo* de loco ad alium locum transferri, atq; Calendis Maij in monte Bructerorum, *vulgò Brockselsberg*/convenire? Neg.

V. Quæ sit pœna mulieris, quæ adolescentem in capro sibi advehit curavit, *so einen auff dem Bocke holen leßt*/nec tamen nocitum sit adolescenti? *vid. Coler. part. 1. decis. 180. num. ult.*

VI. An adolescens puellæ, vel hæc ipsi, ad conciliandum



dum amorem, philtum, vulgò einen Liebetrunck / propinans,  
si exindè præter propositum, uti plerung, fieri solet, furor tan-  
demq; mors sequatur, ultimo supplicio sit afficiendus?  
Affirm.

VII. An quorundam Opificum statutum, was einer an-  
gefangen oder zugeschnitten / soll der ander nicht ausmachen /  
Juri sit consentaneum? Neg.

D. S. G.



AD

**DN. PAULUM DRECHSLERUM**  
RESPONDENTEM ET CONVICTO-  
REM MEUM.

**F**urtorum varia species, discrimina multa:

*Furta patrant inopes, divitibusq; pares.*

*Æquum igitur tali delicto imponere habenas:*

*Ne repleat facinus climata cuncta Soli.*

*Quapropter merito tibi laudem, PAULE parabis:*

*Dum sceleris tanti præmiis justa refers.*

Wolfgangus Hirschbachius U. J. D.  
& Profess.

---

**T**urpiter ut faciant, mundi pars pessima, fures;

*Turpiter ut vivant; turpiter ut pereant;*

*Quæq; aliàs memori de illis sunt mente tenenda:*

*Omnia, ritè tua hæc lemmata, PAULE, docent.*

L 3

Pergite



Pergito & in simili ingenium monstrare politum:  
JUSTITIÆ fies Cultor & inde bonus.

*Philias xciij deproperab.*

*Jeremias Reusnerus U. J. D.*

AD

Præstantissimum ac Eruditissimum

**Dn. PAULUM DRECHSLERUM**

HALENS. SAX. SS. LL. STUDIOSSIMUM,

amicum, Fautorem ac Commensalem suum  
amicè colendum,

**B**elligerare volens, altis sub mœnibus arces  
Exstructas is habere solet, tutissima castra,  
Iratis aditum queis hostibus occupet omnem,  
Adsit Dux belli, præsto sint illius arma  
Adsit & hic currus sit præsto miles in armis.  
Sic miles themidos, sic fautor amice colende,  
Sic Legum nodos privata industria solvit  
Hactenus, & juris sinuosa volumina volvit.  
Bellipotens præsto est Dux, hoc indicere bellum,  
Fortiter hoc hostes poteris depellere cunctos.  
Sicq; insigne Decus Musarum pergito amator  
Præmia solus habes; certum tibi finge triumphum.  
Gratulor hocce: Trias animi precor effice votum.  
Prosperius tibi sit Fatum, nec dulcia desint  
Gaudia, sis foelix, nunquam malè dispereas tu.

Jucundissimæ familiaritatis  
G. deprop.

Siegfriedt von Börsdorff  
Eq. Lulat.



Præstantissimo Domino

PAULO DRECHSLERO

Sympatriotæ pl. dilecti.

**M**ulta canant alij, DRECHSLER, dicam omnia paucis;  
Certatum satis est, parta parare sine.  
Laurea tu mihi respondes mereatur oportet?  
Debita sed potius suscipiatur, Ego.

Ernestus Stiffer ad D. Nicolai & S. Gangolffi Canonicus.

Cum Sphalmata quædam irrepsisse animadvertierim, ea hinc  
notari illorumq; Catalogum affigi necessarium  
judicavi.

In tit. lin. 1. Pro faustum que lege faustumque. lin. 18. lege. Professore.  
Procem. col. 1. lin. 1. lege exercitij. Adfert. 7. column. 2. l. 9. l. tolerari. Adf. 9. l. 4.  
pro 3. l. 1. Adf. 10. col. 2. lin. 2. l. præjudiciale ac peric. & c. A. 13. c. 2. l. 6. l. torturam.  
A. 53. l. 9. l. certè. l. 16. l. dici. A. 56. l. 9. l. debitos. A. 71. l. 2. l. alius. A. 74. c. 1.  
l. 2. l. creditor. A. 78. l. 17. l. damnum. A. 81. l. 4. paucis quibusdam in Exemplari-  
bus, pro vabis. l. Valvis. A. 91. l. 9. l. sacram. A. 96. l. 4. l. illud. A. 100. l. 10. l. mali-  
tiosè. A. 107. c. 2. l. 3. l. causarum. A. 108. l. pen. pro vitte. l. fite. A. 117. l. 2. l. præ-  
stantes. A. 124. c. 2. l. 20. l. que. A. 137. l. 3. l. vel. A. 154. c. 1. l. ult. l. communem.  
A. 157. l. 4. l. nec. A. 182. l. 9. paucis quibusdam in Exemplarib. pro resciscat l. resciscat.  
A. 187. col. 3. lin. 7. l. Consultis. A. 194. c. 3. l. 14. l. furtorum. lin. 24. pro 3. leg. l.  
câd. l. defensoribus. A. 197. c. 2. l. 17. l. foro. Deficiunt. A. 7. l. 9. post verb. dicitur.  
A. 59. l. 8. Verba: magnâ amicitia conjuncti, an res parva sit vel. ita ut legendum sit:  
sint consanguinei, vel magnâ amicitia conjuncti, an res parva sit vel magna, aut do-  
minus rerum & c. Abundant. A. 16. l. 1. A. 23. l. 2. & A. 124. c. 2. l. 9. lit. l.  
A. 56. l. 10. Syll. bi. A. 138. l. 7. post verb. obligatus. A. 149. c. 2. l. 3. Syll. fin. A.  
166. l. 15. l. e.

Hæc in cursoria perfectione occurrerunt, cætera æquus &  
benevolus Lector ipse corriget.





citer tunc incepti omni auspicio, feliciter mediam et felicissimum exitum,  
nec non felicia et prospera quae ex intimis visceribus penetrabilibus pre-  
cor, Ipsis tunc mentem innotuam ingenio factam, in memoriam, et eandem,  
di atq; infernati adfectus signum mitto

Paulus Drechsler  
Respond.




01 A 6573

ULB Halle

3


003 090 345











22  
QUOD DEUS TER. OPT. MAX. FELIX FAUSTUM  
QUE ESSE VELIT.

DISPUTATIO ORDINARIA SECUNDA  
*Dissertationem*

De  
Prima privatorum delictorum specie,

*Quae est*  
DE FURTIS,  
Exhibens.

*Quam*  
In celeberrima & florentissima Academia

WITTEBERGENSI

*Approbante & permittente Magnifici atq; Amplissimi*  
Facultate Iuridica,

P R E S I D E

*Viro Amplissimo & Consultissimo*

DN. VV. WOLFGANGO HIRSCHBACHIO

J. U. D. ET PROFESSORE PUBLICO

Nec non Curiae Provincialis, & Dicastrij Electoralis ibidem Ad-  
fessore meritorissimo, Domino Praeceptore & Fautore suo  
perpetim honorando,

*Exercitij gratia in Jctorum Auditorio publicè exa-  
minandam proponet*

PAULUS DRECHSLERUS HALENSIS SAXO.

*Ad diem 30. Octobr. horis à 7. matutinis, Anno Iubilai Evangelici.*

*20. Decembris.*

Jerem. 22. vers. 3.

*Haec dicit Dominus: Facite Judicium & Justitiam, & liberate vi oppressum de manu calumnia-  
toris, & advenam & pupillum & viduam nolite depradare neque opprimatis inique,  
& sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto.*

WITTEBERGÆ,

Typis Johannis Gormanni, Anno M. DC. XVII.